


DESCRIPTIONIS  
INDIÆ OCCIDENTALIS,  
LIBER QVARTUS.  
F L O R I D A.

10

## C A P . I.

Floridæ provinciarum prima inventio, seu expeditio  
Joannis Poncii Legionensis.



IRGINIAE quam superiori libro absoluimus, contigua est Florida, vastissima provincia; in qua quidem lustranda atque colenda primum Hispanorum, deinde & Gallorum labor atque industria erit; verum utrius tam levem nobis, praeterquam juxta littora, & tam confusam maxime in mediterraneis, cognitionem reliquerunt, ut praeter institutum hic historiam rerum gestarum & itineraria praemittere satius existimaverim: in quibus, quantum ad Hispanos attinet, Antonii Herreræ potissimum decades sequar.

Ioannes Poncius Legionensis novas terras aperire satagens, cum tribus navibus, quas viris, commeatu, atque omnibus necessariis abunde instruxerat, tertio Martii anni CIO IO XII solvit e portu S. Germani in insula S. Ioannis de porto rico, & Aguadam primo stringens, inde in altum proiectus est, iter flectendo versus Corum, & octavo ejusdem mensis, vada quæ los baixos de Babueca vocant declinans, Insulam de Vejo, duobus & viginti gradibus & triginta scrupulis ab æquatore versus Arctum sitam tenuit, proximoque die sub Lucayarum insularum una, quam dicunt Chaicos, anchoras fixit, & paulo post sub Yagine, viginti & quatuor gradibus ab æquatore, (ut ab ipsis naucleris tum notatum invenio) deinceps Amaguayam & Maneguam prætervectus, attigit Guanihanem (quam insulam Columbus primum visam S. Salvatoris nomine insigniverat) & vigesimo septimo ejusdem mensis, insula hactenus incognita post tergum relicta; tertio Aprilis rursus terram est conspicatus, triginta gradibus & octo scrupulis ab Æquatore versus Arctum, & oram illius deinceps legit, portum idoneum pervestigans. Porro hanc terram Insulam esse suspicatus, FLORIDÆ nomen illi imposuit, vel à vernanti & amœna terræ facie, vel ut alii prodiderunt, à die quo hanc primum viderat, qui Hispanis & Gallis Pasca floridum, Romanis Dominica in Ramis palmarum vulgo appellatur. Atque hic jactis sub littore anchoris in terram descenderunt, partim ut incolas investigarent, potissimum autem ut illam sibi habendam possidendumque consuetis ceremoniis vendicarent.

Octavo deinde ejusdem mensis, velis explicatis versus Africum navigarunt, & littora radentes, quum barbaros & illorum tuguriola (quæ Bohios vocant,) conspicantur, rursus anchoras jecerunt; postero vero die paulum à littore in altum provecti, tantum pelagi refluentis æstum sunt experti, ut navigia plenis velis & secundo vento impulsas remoraretur, atque ægre in anchoris consistere pateretur. Quumque Hispani ab indigenis invitati, in terram excedissent, barbari primò cymbam subducere, remos atque armamenta rapere cœperunt, Hispanis nihil contra molientibus, ne ultro gentem irritarent; verum quum illi unum e militibus clava lignea ita affixissent, ut pro mortuo haberetur, ad arma utrimque ventum, duoque Hispani vulnerati, proelium nox superveniens diremit. Hinc ad vicinum flumen aquandi atque lignandi gratia profecti, e sexaginta barbaris qui illos aliquandiu prohibere nitabantur

tebantur, unum interceperunt ut illo ductore atque interprete deinceps utearentur; Hic crucem lapideam cum inscriptione ad ripam fluminis posuerunt, à qua nomen eidem hactenus mansit *Rio de la Cruz*. Octavo autem May, promontorium Floridæ, quod *de Corrientes* vocarunt, octo & viginti gradibus & quindecim scrupulis ab Æquatore versus Arctum, prætervecti, pone illud anchoras jecerunt, haud procul ab *Abaioa* pago: Atque inde rursus moventes versus Austrum, primo duas insulas obvias habuerunt, (quarum uni *S. Marthæ* nomen impositum, ubi & aquarunt) mox etiam plures: & longam veluti seriem scopulorum potius quam insularum præternavigantes, sub una illarum constiterunt, quam appellarunt *Pola*, sex & viginti gradibus & triginta scrupulis ab Æquatore versus Arctum. Inter hanc scopulorum insularumve seriem & Continentem, pelagus freti in modum vastis fluctibus perrumpit: Omnibus autem hisce scopulis tum *Martyrum* nomen inditum, quod rupes paucim extantes, eminus homines palis suffixi viderentur; sed mali ominis nomen, multorum postea naufragia atque exitium, jure meritoque inditum comprobarunt. Poncius deinceps nunc recta versus arctum, nunc versus boream proiectus, & incolarum ingenia leviter periclitatus, nihilque minus quam Continentem suspicatus, per medias *Lucayas*, ad insulam *S. Ioannis* unde venerat est reversus.

Ferunt illum imprimis motum fuisse, ut hanc navigationem susciperet, vanis multorum barbarorum narrationibus, de fonte Insulae *Bimini*, & flumine quodam continentis, quorum aquæ senibus pristinas vires atque adeo juventam postliminio restituerent; quare & studiose neque sine discrimine illam insulam adiit, & sero animadvertisit se à barbaris delusum esse.

## C A P. II.

*Navigatio secunda Hispanorum in Floridam.*

**F**LORIDA ad hunc modum inventa; Anno demum c<sup>1</sup>o l<sup>o</sup> xx altera expeditio fuit suscepta à *Luca Vasquio de Ayllon* Licenciato, qui cum consortibus suis, duas naves instruxit ut barbaros è vicinis insulis ad metalla egerenda raperent & invitatos manciparent. Ex è portu *de Plata* ad septentrionalem Hispaniolæ oram fito, versus arctum navigantes (casu an ex instituto incertum) velificatione ab extenis insulis *Lucajarum* continuata, tandem ad Continentem Floridæ applicuerunt, triginta & duobus gradibus ab Æquatore versus septentriones, tum quidem *Cichoræ* & *Gualdapæ*, nunc vero Promontorii *S. Helena* & fluminis *Jordanis* nominibus notam. Barbari indigenæ, rem insolitam, naves onerarias expansis velis allabentes conspicati, magno numero ad littus accurrerunt, monstruosos esse pisces opinantes, postquam autem viros barbatos & vestitos excendere viderunt, trepidi fuga se subduxerunt. Hispani vero duos eorum è fuga retractos, secum in naves abduxerunt & cibo potuque refartos, vestibusq; Hispaniensibus indutus ad suos remiserunt. Regulus provinciæ, tamen peregrinum vestitum cultumque admiratus, quinquaginta suorum cum variis frugibus & annona illius regionis ad naves ablegat: multis præterea Hispanorum qui in terram descenderant comites adjungit, qui illos per vicinas provincias circumducerent, ubi & hospitaliter accepti, & variis munieribus, auro, margaritis, & laminis argenteis fuerunt donati.

Hispani vero, mores indigenarum, cœli solique naturam obiter contemplati, postquam dolia omnia aqua potabili replevisserunt, seque ad decessum comparassent, plurimos barbarorum in naves ad convivium advocarunt, qui quum fraudis ignari magno numero advenissent, illi revulsis anchoris & expansis velis abitum accelerant, & miseros illos invitatos & nequicquam hospitii jura violata obtestantes, in sèvam servitatem abripiunt. Una harum navium periit in mari, altera multis barbarorum partim mærore, partim obstinata inedia absuntis, tandem ad Hispaniolam rediit, ubi illi qui superfuerant, canibus, avibus & putridis nonnumquam cadaveribus vitam tolerare visi fuerunt. Immane autem hocce facinus, non modo se impune ferre posse speravit *Vasquius*, verum & præmium à Rege & novas terras indagandi licentiam, consuetasque immunitates impetrare, quarum causa in Hispaniam navigavit.

Interea & plures alii Floridam petiverunt & magnum barbarorum numerum d.3.1.8.  
inde in servitutem abripuerunt. Patuitque tandem Contihentem esse, non In- c.8.  
fuslam.

*Vasquius* denique impetrato Regis diplomate: anno c. 1510 xxiv plures naves 1524.  
ad Floridam dimisit, quæ quum ipsum de soli ubertate, auri, argenti, unionumque  
divite copia, reddidissent certiorem; vana spe impletus, proximo anno, cum tribus  
navibus eò contendit: Verum quum Promontorium *S. Helenæ* & flumen *Iordanis* ad-  
navigasset, una suarum navium ibidem fracta, & ducentis suorum quos in terram ex-  
posuerat, magis propria negligentia atque supina securitate quam barbarorum forti-  
tudine ad internacionem deletis, voti irritus atque animo æger ad Hispaniolam re-  
meavit.

Hujus expeditionis tam infaustus exitus, spem de immensis Floridæ divitiis mul-  
tum imminuit; nam & gentem quam tum viderant, paupellam esse constitit, &  
paucas tantum & viliores uniones, ex ostreis ad ignem dehincenibus exemptas, negle-  
ctim habere, auri atque argenti pauxillum, neque in ipsorum terris natum, sed in  
interiori continente & supra sexaginta leuc. ab ora maritima, versus septentriones  
(ut tum creditum) apud *Otapalos* atque *Olagatanos* populos quæsitum; quos metallis  
omnis generis abundare tum fama erat.

20

## C A P . III.

*Tertia Hispanorum in Floridam expeditio Anno c. 1510 xxviii,*  
*duce Pamphilo Narvaezio.*

**P**amphilus *Narvaezus* superiorum infausto successu nihil territus, quum anno c. 1510 xxvi ab Imperatore & Hispaniarum Rege Carolo, omnium terrarum à flumine *Palmarum* ad extremos usque Floridæ terminos detegendarum, præ-  
fecturam amplissimo diplomate impetrasset: mense Martio anni c. 1510 xxviii, è por- 1528.  
tu *Xague* ad australem *Cubæ* plagam fito, vela fecit, cum quatuor onerariis & una  
celoce, quibus quadringenti milites & octuaginta equi vehebantur. Hæsit in *Ca-*  
*marreo* vadis classis, Navarchi imperitia, sed nullo insigni damno accepto, proiecta,  
primò valida tempestate apud *Guaniganigo*, rursusq; altera juxta Promontorium *de*  
*Corrientes* jaetatur: dehinc superato *S. Antonii* promontorio, septentrionale *Cubæ* latus  
duodecim supra *Habana* portum leucis tenuit, ubi idoneam ab Austro auram naœta, fe-  
lici trajectu Floridam adnavigavit duodecimo Aprilis; Anchoræ in quodam Sinu ja-  
etæ, unde tuguria barbarorum in continentè sita visebantur, à quibus pisces & ferinam  
permutatione mercium acceperunt. Postero die Præfectus partem copiarum in ter-  
ram exposuit, sed domicilia indigenarum deserta repperit (quorum unum trecento-  
rum hominum capax videbatur) quumq; inter retia cymbalum aureum deprehendis-  
set, spei plenus mox reliquas copias & equos, qui jam ad quadraginta & duos perve-  
nerant, deduxit, & terram nomine Imperatoris possidendam accepit, consuetis prius  
ceremoniis adhibitis: accedebant barbari, verum propter linguæ imperitiam, quid  
adferrent, haud satis constabat, nisi quod minitabundi, Hispanos ut finibus suis ex-  
cederent, jubere videbantur. Præfectus inde paulum progressus, alium sinum in-  
venit, ingenti ambitu intra continentem receptum; itaque Navarro imperat ut  
idoneum portum navibus investigaret; verum ille locorum penitus ignarus, jam  
ante notum portum quoque erat prætervectus. Deinde quatuor leucas versus inte-  
riora profectus, in barbaros incidit, qui maizium offerebant, apud quos dum ab-  
dita perscrutatur, quatuor thecas ligneas invenit, in quibus cadavera pellibus feri-  
nis teœta & barbarorum in modum picta abscondebantur, panniculos insuper lineos  
& laneos, atque auri ramenta aliquot, quæ barbari ab *Apalache*, longissimo inter- Apala-  
vallo ab ipsis dissita & auri divite regione, se habere testabantur. che.

Præfectus hisce indiciis in majorem spem erectus, copias terrestri itinere proce-  
dere, naves autem littus legendō prosequi præcipit, Thesaurario *Alvaro Nunnezi*  
*Cabeça de Vaca* nequicquam refragante. Primo May expedito agmine trecentorum  
militum, quorum quadraginta equites erant, profectus, duabus libris biscoeti & di-  
midia laridi in singulos milites distributis, quindecim dierum iter absolvit, nulla

annonæ in illis regionibus reperta, præter palmitos; nullis itidem incolis uspiam obviis: & ad flumen pervenit, quod partim natatu, partim ratibus ex obvia materie compactis trajecerunt: oppositam ripam tenebant barbari, qui Hispanos in domicilia sua abductos, maizio refecerunt. Hic paulum subsistens aliquot suorum ad littus maris requirendum dimisit, qui reduces sinum & littus juxta vadosum atque importuosum à se visum retulerunt. Hinc quindecim dierum iter progressus, nullo ne vestigio quidem incolarum invento, tandem decimo septimo Junii, Regulum cervino tergore eleganter picto teatum, buccinatoribus præeuntibus & multitudine barbarorum subsequente, obvium habuit, cui quum per signa exposuisset se *Apalachen* petere, ille se Apalachenorum hostem esse vius est respondere; & levibus quiibusdam munusculis donatus, transmisso altero flumine, illos in pago suo, maizio aluit atque ferina. Denique per itinera impeditissima, vigesimo quinto ejusdem mensis *Apalachen* est perventum, oppidumque inopinantibus & imparatis barbaris primo impetu captum: multum ibi maizii, tergora ferarum, pallia è filis texta, aliaque barbarorum suppellex direpta: quadraginta tuguriis humilibus & stramineis constabat hic pagus, adversus incerta ventorum, qui hisce locis admodum interdum fæviunt, egregiè munitus, & altissimis præterea montium jugis & profunda uligine undique septus.

Solum omne quod hactenus lustraverant, planum erat atque arenosum, juglandibus, lauris, cedris, sabinis, abjetibus, pinis, aliisque arboribus passim obsitum, & humilioribus palmitis; multis stagnis riguum, & procumbentium præsenio, aut vi tempestatum prostratarum arborum truncis impeditum; feræ innumeræ, cervorum tres species, cuniculi, lepores, ursi leonesque ea nemora pererrant: regio frigidior quidem est, sed lati pascuis abundans.

Viginti quinque diebus, quos hic sunt morati, bis inopinato incursu sunt territi, barbaris se intra paludem recipientibus: ter in varias partes digressi, ut vicinas provincias lustrarent, nihil præter impedita itinera, & indigenas omnium rerum egenos offenderunt. Regulus quem in vinculis custodiebant, suum municipium, omnium hujus regionis longe maximum, ulteriores provincias longe infrequentiores incolis, & deteriore solo esse commemorabat; veruntamen novem dierum itinere versus Austrum, aliud occurtere municipium, *Aute* nomine, cujus incolæ ipsius essent confederati, & annona aliisque rebus necessariis abundantent, utpote mari viciniores.

*Autem* Hispani harum regionum inopiam conspicati, & barbarorum injurias, qui equos illorum noctu ex insidiis mactabant, non ultra ferentes, in animum inducunt iter versus mare flectere. Magno cum discrimine iter octo dierum factum, barbaris ubique magno impetu (sunt enim vastis corporibus & insigni sagittandi peritia prædicti) illos oppugnantibus, & pari corporum agilitate sese intra saltus & paludes recipientibus; ad *Auten* quoque certamen haud incurruerunt fuit, aliquot militum desideratis; tamen loco potiti, magnam copiam mayzii, pisorum, cucurbitarum & similiū fructuum invenerunt. *Cabeça de Vaca* à Præfecto missus ut littus maris visitaret, & post triduum reversus, tristem & squallidam regionis faciem, reductos intra terram sinus & mare remotius renunciavit, militibus jam plus satis afflictis. Nec jam equi ferendis ægris sufficiebant, quum (quod unicum supererat) deserto *Aute* versus mare moverunt; & aliquot cymbas fabricare aggressi, licet omnium rerum inopes, quinque ante vigesimum Septembbris utcunque perfecerunt: funes ex equorum fetis con torquent, uterculos ex tergoribus considunt ad aquam conservandam, vela indusis suis instruunt, cæteraque expedient ad eundem modum, prout aut fors aut industria adjuvabant; nec dum à barbarorum insultibus immunes, qui decem hic milites trucidarunt.

Secundum ipsorum calculum, à sinu *s. Crucis* ubi primum terram attigerant, ad hunc locum ducentarum & octuaginta leucarum iter absolverant. Vigesimo secundo Septembbris naves ingressi solverunt, & postquam septiduum inter sinuum recessus, viarum ignari oberrassent, nullo dum mari viso, insulam habuerunt obviam, ubi lintres quinque & pisces ad solem siccatos acceperunt; & fretum quod insulam à Continenti exiguo intervallo dividit, emensi (nomen *s. Michaëlis* huic inditum) littus legendò iter recta versus flumen Palmarum dirigunt: laborabant interim aquarum penuria

penuria, nec barbaros offendebant præterquam paucos, & piscatu inopem vitam miserrime tollerantes. Deinceps promontorium obvium non sine summo discrimine superant & aliquot sociis largiore maritimæ haustu extinctis, rursus Continenti se applicant, ubi primum à barbaris per amice hospitio excepti & potu, piscibusque cœtis refecti, deinde nocturnis insidiis petiti & pene oppressi, Regulo elapso, & præfecto vulnerato, trepidè & cum summo periculo cymbas repetunt. Trium deinde dierum itinere provecti, eadem aquæ potabilis inopia pressi, rursus ad continentem appellunt: accurrunt incolæ & obsidibus utrumque datis & acceptis, aquandi opportunitatem Hispanis ultro ostendunt: haud segnius tamen paulo post & obsides illorum retinent & suos ferociter reposcunt. Gens erat statura grandiori, quam quos hactenus viderant, promissis crinibus atque solutis; Reguli illorum ditibus martium pellibus erant amicti. Statio hic erat navibus admodum infida, itaque extremo periculo prævertendum rati, paululum provehuntur, sed mox cymbis ventorum in diversa abreptis, & singulis pro virili in anteriora tendentibus, una qua Thesaurarius *Cabeca de Vaca* vehebatur, (cui hæc narratio debetur) hæsit vado, atque ipse cum suis comitibus in Insulam, ut postea patuit, exscendit, *Malhado*, quasi dicas infortunatam, ab ipsis nuncupatam: Incolæ circiter centum primo in ipsos impetum fecerunt, verum mox blandimentis & munusculis quibusdam deliniti, pisces aliaque edulia liberaliter contulerunt: Et quum postea Hispani cymbam apud Insulam hanc misere fregissent, & armis, vestibus, cæterisque rebus mari haustis, ipsis ad extremam calamitatem jam nihil deesset, illos in suis tuguriis tantisper aluerunt, donec & ipsis met viætus deficeret: itaque Hispani fame efferati, horrendum dictu, socrorum carnis vesci cogebantur, donec ex octuaginta tantum quindecim superessent. Horum quatuor *Cabeca de Vaca*, *Castillo*, *Orantes*, & *Estavenico* post longos errores & varios casus, quos hic referre nimis longum esset, tandem pervenerunt in Mexicanam provinciam: ubi cæteræ cymbæ perierint, aut quis exitus ipsum Præfectum tuluerit, haud constat. Atque hic fuit exitus tertiaræ hujus Hispanorum expeditionis in Floridam.

30

## C A P . IV.

*Quarta & maxime memorabilis Expeditio Hispanorum in Floridam,  
duce Hernando à Soto, anno cI 1539 inchoata.*

**P**os t superiorem Pamphili Narvæsi infelicem successum, navigatio in Floridam aliquandiu fuit intermissa, & anno demum cI 1539 in xxviii cœpit restaurari, quo Hernandus à Soto, Floridæ lustrandæ & subjugandæ licentiam, una cum Præfectura Insulæ Cubæ speciali diplomate ab Imperatore impetravit. Is necessariis omnibus mature præparatis, & trecentis quinquaginta equitibus, non gentis peditibus (præter magnum navalium Socrorum numerum) in naves impositis, duodecimo May Anni cI 1539 solvit ex Havane portu, & sub finem ejusdem mensis anchoras jecit in Sinu *Spiritus Sancti*, ad Floridæ continentem, ibidemque è vestigio trecentos milites exposuit in terram, qui nullis barbaris conspectis secure se somno dederunt; verum sub auroram maxima indigenarum multitudo tam inopinato in illos incubuit, ut loco cedere & mare trepidantes repeterem cogerentur, actumque haud dubio de ipsis fuisset, nisi è navibus opportune ipsis fuisset subvenitum. Expositis dehinc cæteris copiis, duas leucas versus interiora continentis castra promovit, ad pagum *Hirribiagna* Reguli, qui jam ad montana se subduxerat, Hirria metuens ne eorum quæ crudeliter in Narvæsi milites, & imprimis Ioannem Ortizum gua. (qui etiamnum superstes hospitio Mucosi reguli utebatur) admiserat, pænæ à se representerentur. *Mucosus* interim hunc Ortizum cum quinquaginta suorum ad Sotum mittit, pacem postulatum. Hujus adventus Præfectum supra modum exhilaravit, nam licet ille haud longe à littore intra continentem penetrasset, tamen certa fama se accepisse narrabat, eximiam esse mediterraneæ regionis fertilitatem juxta atque amoenitatem.

Præfectus his acceptis progrediendi certus, onerarias omnes, qua tuor solummodo

Her.d.6.  
1.7.c.9.1539.  
Sinus  
Spirit.S.

exceptis, dimittit, ut militibus omnem descendendi facultatem & spem penitus adimeret: dein *Hirrihiagum* ad amicitiam & societatem nequicquam pellicere co-  
 Virribaracuxi. natus, sexaginta equites & totidem pedites ad *Virribaracuxi* Regulum, qui *Mucoso* proximus agebat, præmisit; sed & ille cum omnibus suis in aspera & montosa loca configerat, neque ullis blandimentis poterat revocari. Hæc provincia multis agrestibus vitibus, juglandibus, moris, cerasis, pinis, quercubusque passim erat consita, virebatque lœtissimus campis. Præfectus postquam id cognovit, *Calderone* cum quadraginta equitibus apud naves relieto, & prius monito ne quid damni indigenis ultero inferret, cum reliquo exercitu, per *Mucoso* provinciam, iter instituit versus boream, nullis certis indiciis itinera sua consignans, magno in futurum errore. Quum 10

*Mucoso*. *Virribaracuxi* ditionem esset ingressus, nihil intentatum reliquit, quo Regulum permulceret, sed frustra. Hinc vastæ uligines, quæ leucam in latitudine patebant, ægrè toto biduo superatae, insultantibus undique barbaris quorum quum aliquot ce-  
 pissent, qui se iter commonistratos promittebant, pene in insidias & impeditissima loca præcipitarunt; quod quum Præfecto innotuisset, barbaros fraudis manifestos canibus dilacerandos objecit; & ab alio qui simile exitium metuebat, in patentiorum semitam reductus, in *Acuera* provinciam, (altera uliginosa palude superata per sublicium pontem,) pervenit, hujus Regulus oblatas à Præfecto pacis conditiones repudiabat arroganti hoc responso, bellum se cum vagis hominibus malle, quam pacem: viginti dies hic subsistens quatuordecim suorum amisit, quinquaginta hostium 20 occidit. Dein *Acuera* provincia pene intacta, recta versus aquilonem & *Ocalia* li-  
 mites promovet (fertilis erat illa regio, neque ullis paludibus impedita) & itinere

*Ocalia*. viginti leucarum absoluto, ad *Ocalin* pagum pervenit: Constatbat is sexcentis pene casis, & maizy, leguminum, glandium atque juglandium copia præcellebat; Regulus autem ad montana profugerat, sed tandem animo paululum confirmato descendit ad Præfectum, & se ducem itineris præbuit: verum quum ad ripam cuiusdam flumi-  
 nis castra posuissent, ut pontem molirentur, circiter quingenti barbari, ex adversa ripa, ingentem sagittarum multitudinem effuderunt in Hispanos: rogatus autem Regulus, quare illius subditi ipso præsente talia auderent; dicto minus audientes sibi esse respondit, quod ipsis inconsultis cum advenis convenisset, quare dimittitur ad 30 suos, ut ipsorum animos Hispanis conciliaret, verum nihil æqui ab ipsis impetrare potuit, & redire neglexit.

*Vitacuchi*. Ponte jam parato copiæ traductæ, quæ duces itineris nauctæ, post sedecim leucarum iter in *Vitacuchi* provinciam penetrarunt: Ea circiter quinquaginta leucas patebat, & tum à tribus fratribus divisim regebatur. Quorum unum cum pago suo *Ochile* (semel autem monendum, regulos & pagos hic uno atque eodem plerumque nomine censeri) quum ex itinere intercepissent & liberalius haberent, ad vallem amœnam & ædificiis hac illac sparsis bene cultam, ab ipso sunt deducti. Regulus in-  
 super ad fratres suos mittit rogatum, ut Hispanis iter per suas provincias concederent, nulli quippe damnum inferre, neque quicquam præter annonam & transitum pe- 40 tere: Alter fratum humaniter annuit; verum *Vitacuchus* qui ætate & potentia præcellebat, præferociter negavit, exitium Hispanis comminatus, si se invito provin-  
 ciā ingredierentur; mox tamen mutata voluntate cum quingentis suorum Præfe-  
 ctum sponte invisit: Promota itaque ad pagum *Vitacuchum* castra, qui circiter ducentis ædificiis constabat, longe pluribus per campestria longe lateque sparsis. Re-  
 gulus Hispanos hic incertos opprimere meditabatur, verum insidiæ ab interpre-  
 tribus sunt detectæ, multi barbarorum cæsi, ipseque Regulus cum aliquot millibus suorum captus, & quum laxius habitus, denuo in Hispanorum necem conspiraf-  
 set, cum omnibus suis ad internacionem est cæsus.

*Osachile*. Castra de hinc ad *Osachilen* mota & fluvius ponte superatus, perventumque ad 50 sata maizii, barbaris è tuguriolis suis in Hispanos ejaculantibus: Pagus ab incolis de-  
 fersus, neque ullis mediis permoveri potuit Regulus, ut rediret: Itaque crebre-  
 scente jam *Apalaches* fame, bidui tantum mora ibidem facta, progrediuntur; etenim jam tempus admonebat de Hybernis cogitare. Duodecim dein leucis per  
 desertum ægre confectis & uliginosa palude cum aliquot militum exitio superata,  
 invius & impeditus occurrit saltus, quem magno labore penetrarunt, rursusque ad

ad Campelstria ventum , & in mayzii satis , quæ ad *Apalachen* pertinebant , castra me-  
tata : & mox crebris barbarorum incuribus & viarum difficultatibus mirum in mo- Apala-  
dum delassati , duabus leucis à loco , ubi *Capafus* Apalaches Dominus cum valido  
exercitu ipsos operiebatur , considerunt : Regulus non expectato ipsorum adventu  
cum suis propere aufugit , neque unquam potuit deprehendi aut revocari . Hic pa-  
gus circiter ducentis domiciliis constabat , præter multa tuguriola per campos spar-  
sum extructa : Temperies cœli commoda hic erat , solum fertile & mayzii atque legu-  
minum feracissimum , amnes piscosi , indigenæ robusti & bellaces . Paucorum die-  
rum quiete capta , Præfectus suos in diversas partes dimitit . Qui ad septentriones  
speculatum exierant , terram uberem , cultam , populo frequentem , nullis montibus  
asperam , nullis paludibus inviam se reperisse , neque quicquam incommodi ab indi-  
genis se passos , retulerunt : qui vero ad Austrum , terram asperam & tristem aspectu ,  
cultuque , & haud dubio illam , quam *Cabea de Vaca* notaverat .

Mensis October jam aderat , itaque Præfectus hic hybernare constituens , an-  
nonam congerere & locum munire aggreditur , *Capafio* de pace nequicquam inter-  
pellato : *Annascum* cum triginta equitibus ad naves dimittit , ut reliquias copias ad-  
duceret ; interim Regulus in loco arduo & munito intercipitur , sed negligentius cu-  
stoditus elabitur , neque postilla potuit deprehendi . *Annascus* maximo itinere un-  
decim diebus confecto ad *Calderonem* pervenit , uno tantum à suis amissio : & deposi-  
20 tis apud Regulum *Muscosum* impedimentis & reliquo comeatu , *Annascus* quidem  
cum duabus celocibus ad *Autes* sinum , quem nuper detexerat , navigavit , & sub- Aute.  
missis à Præfecto auxiliis , incolumis in Hyberna rediit ; *Calderon* autem cum septua-  
ginta equitibus & quinquaginta peditibus terrestri itinere *Apalachen* petens , centum  
& triginta quinque leucas nullo impediente confecit , ad Apalachorum paludem  
usque ; dehinc crebris barbarorum infidiis exceptus & duodecim è suis desideratis  
pervenit *Apalachen* . *Didacus* deinde *Maldonatus* à præfecto jussus cum celocibus  
oram versus occasum lustrare , & intra duorum mensium spaciū , cum littorum ,  
sinuum promontoriorum , portuum denique accurata descriptione reverti , haud se-  
gniter illud præstitit & præscripto tempore reversus , sexaginta versus occasum ab  
30 *Aute* leucis peropportunum portum , *Achus* nomine , se perlustrasse retulit . Hinc *Achus* .  
ad insulam Cubam atque uxorem Præfecti mittitur , ut ea quæ hactenus gesta erant  
nuntiaret , potissimum autem ut *Achus* portus fama , quamplurimos ad familias suas  
eo traducendas permoveret .

Præfectus denique totum hybernum tempus in indagando ulteriorum versus  
occidentem provinciarum statu impendens , ita ex barbaris mercatoribus comperit ,  
tredecim aut quatuordecim dierum itinere abesse provinciam *Cofachiqui* , auro , ar- Cofa-  
gento & unionibus opulentam : quam quum milites jam spe devorassent , ægre hy- chiqui .  
bernorummoras tolerabant .

## C A P . V .

40

*Expeditionis Hernandi à Soto progressus , 2 annus secundus.*

**P**O ST Q V A M *Hernandus à Soto* Apalachæ hibernasset , primo iter ad Septen-  
trionem instituit per eandem provinciam , & tertio demum die pervenit ad lo-  
cum juxta paludem munitum , paucis suorum , à ferocibus & bellicosis barba-  
ris , interfectis : deinde biduum progressus provinciam *Atalpahæ* ingreditur , ubi pri- Atalpa-  
mum quidem pagum repperit desertum , sed placatis barbaris , peramice in posterum ha.  
fuit ab ipsis exceptus . Inde decem dierum itinere adverso flumine juxta ripas ascen-  
dens , solum fertile & quietas gentes peragrando , *Achalaqui* provinciam adiit , aspe- Achala-  
ram , infecundam & cultoribus infrequentem ; paucissimi ibi adolescentes , plures qui.  
senes invalidi & oculis caligantes reperti : Properatum hinc ad *Cofachi* provinciam : *Cofachi* .  
ea duorum germanorum fratrum *Cofa* & *Cofachi* parebat imperio , à quibus perhu-  
maniter sunt suscepti : *Cofachi* insuper quatuor millia suorum qui impedimenta baju-  
larent , totidemque bellatores Hispanis adjunxit , qui illos per desertum , septem  
dierum itinere , in *Cofachiqui* provincias deducerent : Tridui iter emensi desertum in-  
trant , & via commodissima sex diebus profecti (duobus interea validis & rapidis  
I 3 flumi-

fluminibus trajectis) septimo demum die, quum jam ad latæ illius viæ finem per-  
venissent, & ipsi conductores locorum ignari, qua tendendum esset, hæsitarent,  
magna totius exercitus perturbatio facta est; auxit dein sollicitudinem occurrentis flu-  
men, altum & vadi expers. Itaque speculatores in quatuor partes dimittere visum  
fuit; quorum tres nihil certi retulerunt; *Annascus* autem qui cum mille barbaris, ad-  
verso flumine incesserat, in pagum incidit ad ripam fluminis constructum; cujus rei  
dum Præfectum per nuntios certiorem facit, interea barbari auxiliares crudelissime  
in hujus & vicinorum pagorum (qui omnes de provincia *Cofachiqui* erant) incolas  
sævierunt, ad unum omnes maestando, cemiteria ipsorum destruendo & crania spolio-  
rum loco abripiendo: Quod quum Præfectus superveniens comperisset, immuni-  
tatem barbarorum detestatus, consultius existimavit eos domum remittere, quippe  
potius pacifice quam hostiliter vicinas provincias ingredi sua interesse existimabat.

*Annascus*, qui primum agmen ducebat, binas circiter leucas progressus, quum  
pagum ad ulteriorem fluminis ripam conspexisset, constitutus Præfectum operiens;  
qui adveniens, sex è primoribus barbarorum, qui in adversa ripa se objecerant, ad se  
pellexit; qui quum illum pacifice per provincias incedere, neque quicquam præter  
annonam petere intellexissent, Dominæ suæ (nam à Virgine regebantur) id se renun-  
ciaturos receperunt: neque illa ad Præfectum venire detrectavit, sed & munera,  
prægrandes uniones & Rubinum aureo annulo inclusum obtulit; & licet subditus  
illius ipsi annonæ penuria laborarent, tamen dimidiam penu sui partem liberaliter  
daturam pollicita, exercitum in oppositam ripam traducendum curavit: Mater ve-  
ro hujus vidua, quæ duodecim ab hoc loco leucis agebat, à filia invitata, non modo  
venire detrectavit, sed & filiam graviter increpuit, quod ipsa inconsulta, peregrini-  
nos hosce tam facile in provinciam suam admisisset.

Porro hæc regio pérämœna quidem erat, sed auri inops, æris modica, quod co-  
lore rutilo pene aurum æmulabatur; Unionum copia ingens, quarum quantum  
vellent è monumentis suorum majorum ultro Domina indulxit. Ministri regii qui  
Præfectum comitabantur, brevi tempore corraserunt viginti Arrobas (pondus est  
Hispanicum viginti & quinque libras nostrates aut circiter appendens) Præfecto  
multum refragante, qui duas tantum arrobas Havanam mitti satius existimabat; 30  
Erant autem inter eas quæ pisa magnitudine superarent: Par pene unionum copia  
in vicino pago, cui *Tolomeo* nomen, in Reguli monumento reperta, & linea vestes,  
spiculaque cum æneis cuspidibus in ambitu disposita: quorum omnium quoque  
quintam partem quæ Regi è præda debebatur, iidem ministri abduxissent, nisi Præ-  
fectus tutius hic veluti deponi ipsis persuasisset.

*Cofachique* digressi ob annonæ difficultatem, in duo agmina se dividunt, quo-  
rum unum Præfectus sibi ducendum sumvit, alterum attribuit *Balthasar de Gallegos*:  
Provinciam autem *Chalaquen* petentes, tam horribilis tempestas magno cum ven-  
torum impetu, tonitrubus & monstroso magnitudinis grandine, affixit, ut omnibus  
pereundum fuisset, nisi arborum densitate fuissent tecti.

Chala-  
que.

Xuala.

Sexto die ad *Xuala* vallem perventum uberem atque amœnam.

Antequam autem progrediamur, breviter itinerum rationes subducendæ sunt;  
flumen quod *Cofachiqui* provinciam secat, rei nauticæ periti, in Oceanum Septen-  
trionalem effundi & ad ostium *S. Elenæ* nomine appellari judicabant; rationibusque  
itinerum subductis, quatuor leucas unius diei itineri imputatis, ab *Apalache Xualam*  
usque ducentas sexaginta leucas se progressos, compererunt, quibus si addas cen-  
tum & quinquaginta à sinu *Spiritus Sancti* ad *Apalachens* fient in universum quadrin-  
gentæ & decem leucæ. In provincia *Cofachique* multa mancipia peregrina depre-  
hensa & quidem altero crure subnervato, ne facile aufugerent. Perquisita autem  
ab Hispanis diligentissime vidua illa, de qua supra, quia magnam vim Margarita-  
rum penes se habere ferebatur, nondum perforatarum; nam quum barbari illas sti-  
lis æneis ignitis tenebrarent, omnem splendorem atque elegantiam ipsis deperire  
necessæ erat. Hanc narrationem à Monacho Franciscano in urbe Mexicana, ex Tri-  
buni cuiusdam ore, qui expeditioni interfuerat, exceptam, supremoque Indiarum  
Senatui in Hispania oblatam, testatur *Antonius Herrera*, credo ut fidem suam liberet,  
nam multa hic & alibi ab ejusmodi fraterculis narrata invenimus, quæ difficulter  
invenient fidem.

CAP.

## C A P . VI.

Hernandi à Soto *in interiores Floridæ provincias progressus.*

**P**O ST Q V A M Hispanorum exercitus quindecim diebus in valle *Xuale* (quæ ad *Cofachiques* ditionem pertinet) quievisset, ut equos pabuli abundantia reficerent; hinc iter egerunt uno quidem die per loca culta & fertile solum, quinque autem sequentibus diebus per montes saltuosos, arboriferos, scatebrisque aquarum rigoos, nec ulla hominum industria cultos. Patere visi in latitudinem leucas vi-

10 ginti: Domina autem *Cofachiques* quatuor è proceribus suis ad *Guaxale* Regulum præmiserat, qui tutum Hispanis transitum impetrarent, ni faceret, bellum ipsi minitans. Itaque *Guaxale* quatriuum morati, quinto die *Ychiah* venerunt, pagum situm *Ychiah* in Insula, quam amnis utrimque quinque leucarum spacio in longitudinem complectitur. Hic quum Præfectus indicio Reguli cognovisset, triginta ab hoc pago leucis, abesse roscidi metalli venas, aurum suspicatus, *Ioannem de Villalobos* eo destinat; qui redux æris esse metalla retulit, cæterum regiones fertiles & amoenas populosque hospitales. Ibidem præter Margaritarum parem pene copiam, etiam ostrea inventa in quibus generantur, sed deerat aperiendi industria, itaque ad ignem admotissplendor ille nativus ipsis unionibus deperibat.

20 *Ychiah* dein mota castra ad *Acosten*; & mox flumen trajectum, atque in *Coze* *Acoste*. provinciam ventum fuit, admodum late patentem: juxta præcipuum provinciæ pagum, obvium habuere Regulum cum mille barbaris qui insigni plumarum varietate ornati erant & ditibus ferarum exuviis vestiti. Pagus ad ripam fluminis quingentis constabat ædificiis, solum eximia ubertate longe anteibat vicinas provincias; nec tamen Præfectus licet rogatus à Regulo hic voluit hibernare, proponens iter versus mare flectere & *Achusi* portum petere, uti commerciorum ex insulis oppunitate frui posset. Quinque ergo dierum itinere pervenerunt *Talissam*, pagum munitum *Talissa*. vallo è cespibus & transversis tignis constructo, in finibus *Tascaluzæ* Reguli, cum quo *Coza* bellum gerebat, qui cum Hispanis huc usque processerat ut inimicum territaret. Occurrit hicipsis *Tascaluzæ* filius, octodecim annorum adolescens, verum tam vasto corpore, ut procerissimos Hispanorum toto pectore superaret, qui pacem parentis nomine promittebat: Mox ipse *Tascaluzæ* gigantea magnitudine advenit, qui Præfectum magnifice suscepit & exercitum benigne annonam juvit, porroque deduxit; Inde flumen satis amplum, ratum inopia, non sine discrimine trajectum. Hic *Ioannes de Villalobos* cum altero quodam milite in transitu desideratus, unde suspicari subiit ab indigenis trucidatos, idque eo magis, quod barbari de istis interrogati ferocius responderent, & quærerent num sibi custodiendos tradidissent? Itaque Præfectus quosdam *Mavilam* mittit, quæ leucam aberat, qui desideratos requirent, (quippe Regulus majores copias illo loco coegerat, ut Hispanos tutius, ita videri volebat, conduceret) at illi locum lustrantes, munitiorem esse quam ad huc in Florida vidissent, renuntiarunt. Ventum deinde ad locum, qui octuaginta domiciliis constabat, ita amplis ut mille hominum capacia viderentur; erat enim in planicie constructus & vallo è transversis tignis & ingesta terra muri instar munitus; octuaginta autem passuum intervallo turrem eminebant, in quibus octo propugnatores poterant consistere; duæ tantum portæ aditum præbebant, in medio patebat ingens area, in qua Regulus Præfecto domicilium assignavit. Designaverat animo Barbarus Hispanos omnes non opinantes opprimere & ad internacionem delere, atque in hunc finem ingentem suorum multitudinem exciverat; itaque ex improvviso à septem millibus impetus in Hispanos factus, qui illos statim è municipio propulerunt: redintegrant pugnam Hispani, & proruto vallo, irrumunt in municipium, incendunt ædes, & magnam ubique edunt stragem; undecim pene millia barbarorum hic cæsa ferunt & inter eos Regulum, & filium illius; nec Hispanis incruenta victoria fuit, Præfecto vulnerato & octuaginta & tribus militibus desideratis, qui partim in prælio cæsi, partim postea è vulneribus interierunt; quadraginta equis & impedimentis fere omnibus in ipso municipio incendio absuntis.

Præfectus, uti ante diximus, statuerat urbem condere juxta mare, ad *Achusi* portum,

portum, itemque alteram viginti à portu leucis intra continentem, sed milites refragabantur, causati pauciores se esse quam ut tam ferocibus & bellicosis indigenis possent resistere, neque ullum tantorum periculorum satis dignum præmium usquam apparere, nullis dum auri argentine metallis tam vasto terrarum tractu repertis.

*Quamobrem Præfectus animo æger* (ingentes etenim opes in hanc expeditionem profuderat) & metuens ne ubi ad maritima loca redditum esset à suis desereretur, iter alio convertit, & trium dierum itinere ad *Chioza* provinciam transiit, infestis undique barbaris & fluminis transitum satagentibus impedire: Id altis & præruptis ripis, tandem ratibus ægre trajecerunt. Quatridui dein itinere venerunt *Chicozam*, locum amœnum inter rivulos & arborum fructiferarum lucos, ubi hibernare constituerunt, annona omni quam corradere potuerant in unum congesta. Duobus pene mensibus barbari nihil hostile moliti, tum demum Hispanos primum noctu terrere, dein totis viribus oppugnare cœperunt, & ignita jacula in casas quæ stramentis coniectæ erant, jacere, quæ subito flammæ conceperunt. Verum Hispani eruptio-  
ne facta statim hostes propulerunt; quadraginta milites hic desiderati; equi quinqua-  
ginta, magnam partem intra ipsa munimenta flammis hausti; porci quoque pene omnes amissi, paucis exceptis, qui septa conflagrantium hararum perruperant.

*Hiberna* dein *Chicacollam*, quæ leucam aberat, translata, ob pascuorum opportunitatem, ubi reliquam hyemem miserrime exegerunt, nam pene nudi erant, frigus autem solito intensius, & quotidie infestabantur à barbaris. 20

*Aliba-*  
*mum.* Sub finem Martii ex hibernis moventes, postquam circiter quatuor leucas pro-  
cessissent, monentur à præcursoribus, munitionem in propinquò esse, *Alibamum* nomine, quæ à quatuor millibus barbarorum teneretur; hanc Hispani magno impe-  
tu aggressi, expugnant & duo millia hostium cœidunt, paucis suorum desideratis. Jamque salis penuria laborare inceperant, & febris tentari, è quibus quotquot moriebantur, eorum cadavera gravissimum & intolerabilem fætorem de se sparge-  
bant: sed docuerunt illos barbari herbas quasdam urere & è cineribus lixivium con-  
ficere, quo pro muria uterentur; licet interpretum inopia fieret, ut barbarorum ser-  
mones parum intelligerentur.

*Chisca.* Tridui porro itinere ab *Alibamo* versus septentriones venerunt *Chiscam* ad ripam 30  
ingentis fluminis (quod ob eam causam *Grande* appellarunt) & municipium inopi-  
nato aggredientes, multos barbaros ceperunt, reliquis se recipientibus in Reguli  
ædes, quæ in edito & prærupto colle sitæ difficulter adiri poterant: pace deinde fa-  
cta, plurimum annonæ à barbaris impetrarunt. Inde quatriduo secundum ripam  
fluminis progrediuntur, nam præaltæ ripæ transitum negabunt, donec Regulus  
illius provinciæ, duabus ratibus paratis, trajiciendi copiam fecit, barbaris qui ad  
adversam ripam degebant frustra impedire conatis. Transmissò flumine & quatri-  
dui itinere absoluto, municipium occurrit quadringentarum casarum, in edito col-  
*Casquin.* le juxta ripam fluminis situm, quod *Casquino* Regulo parebat. Hic Hispanos  
perbenigne exceptit, quippe quum cum vicino Regulo *Capaha* bellum gereret, ad-  
venarum auxiliis hostes suos opprimere se posse sperabat. Postquam igitur sex die-  
bus hic corpora curassent, iter prosequuntur, *Casquino* cum quinque millibus suo-  
rum comitante, & tridui itinere ad locum paludosum, eoque emenso, post alterum  
*Capaha.* triduum in conspectum *Capaha* ventum: erat autem locus & natura & arte munitissimus, nam tria latera tegebantur fossa altissima & quadraginta decempedas lata,  
quam fluminis unda implebat; quartum ligneo vallo septum erat. *Capaha* tam inopinato hostium adventu territus, lembo in proximam insulam quam muniverat eva-  
sit; in reliquos à *Casquinatibus* crudelissime sævitum. Quumque *Capaha* pacem à  
Præfecto oblata sprevisset, compluribus lembis, quos Casquines adduxerant,  
impetus in Insulam factus & aditus ad illam ab Hispanis captus: verum Casquinati-  
bus cum quadraginta lembis tarpiter fugientibus, Hispani pacem cum *Capaha* fece-  
runt, & mox Regulos inter se reconciliarunt. 40  
50

## C A P . VII .

*Expeditionis Hernandi à Soto progressus, usque ad illius obitum.*

**S**A L I S inopia exercitum graviter affligente, tandem indigenarum indicio innotuit, leucarum quadraginta itinere abesse provinciam, quæ non modo sale sed & auro abundaret, ad quam duo Hispani cum aliquor barbaris dimissi ut rei veritatem indagarent. Hi undecimo die reversi, salis durissimi & instar crystalli pellucidi, quantum sex viri, æris autem absolutissimi, quantum unus ferre poterat, attulerunt: seque per regiones asperas & incultas iter habuisse sunt testati.

Præfectus autem *Casquinum* reversus, iter flexit versus occidentem, (nam à *Mavila* haetenus iter instituerat recta versus Arctum) & quinque diebus secundo flumine descendens ingreditur provinciam *Quiguatae*: ibique septiduum moratus, eodem tramite, quinto die pervenit *Colimam*, ubi & amice à barbaris fuit acceptus, & alterum invenit flumen; quia autem Salis copiam hic invenerant, provinciam hanc *de la Sal* nominarunt. Hinc per desertum quatriduo progredientes, venerunt *Tulam*; & barbarorum insidiis detectis plurimos illorum occiderunt. Hic multa vaccarum tergora, haud male præparata, invenerunt, indigenis unde ista haberent prodere pertinaciter recusantibus.

20 Bidui deinde itinere *Vitanguæ* provinciam adierunt, & locum vacuum nacti (nam *Vitan* incolæ profugerant, Hispanosque carpebant ex insidiis, ita ut non levis perturbatio *gua*. in castris accideret) eo quod hyems jam propinqua erat, & regio annona & pascuis abundabat, hic hibernare constituerunt. Annus jam agebatur millestimus, quingentesimus quadragesimus primus. Indigenæ nullis mediis ad pacem colendam cogi poterant, sed Hispanos, venatione cuniculorum (qui hic optimi & frequentissimi) occupatos, è latibulis suis impetebant sagittis, plurimosq; vulnerabant; hyems autem gelida erat & admodum nivosa; tamen nusquam commodius hybernatum, tanta erat annonæ copia & lignandi opportunitas. Et licet Regulus in omnes occasiones intentus esset, omnesque opportunitates captaret Hispanos opprimendi, nullum tamen 30 gravius incommodum Præfecti vigilancia acceptum.

In provincia *Naguatex* excursio facta, multique mortales in captivitatem abdu-*Naguatex*. Mense denique Aprili ex hibernis digressi, septimis castris ad præcipuum pro-*tex*.vinciæ *Naguatex* municipium pervenerunt, per uberrimos campos sine ullo incommodo profecti, ibique sedecim dies substiterunt, annonæ copia allecti. Dum hic morantur, *Didacus Guzmanus* Reguli filiæ amore insaniens ab exercitu aufugit, neq; ullis Præfecti monitis aut minis perduci potuit ut rediret. Quum autem à *Naguatex* quinque dierum itinere processissent, *Guacane* provinciam intrarunt, immani & pu-*Guacane*.gnandi avido populo habitatam, cum quibus crebra Hispanis certamina fuerunt; multæ hic ligneæ crucis in casulis eorum inventæ, quas haud dubio à *Cabeça de Vaca* jam 40 olim acceperant.

Præfectum jam dudum pœnitiebat, quod nusquam adhuc, & ne quidem *Achus* certas sedes fixisset aut oppidum condidisset, quippe jam plusquam dimidiam partem exercitus amiserat, & animo anxius providebat omnem operam & sumtum peritum, si quid sibi humanitus accidisset; itaque jam urbem condere certus, & celoces aliquot secundo flumine dimittere, ut res ab ipso gestas & regionis statum ad vicinas insulas & continentem divulgarent; quam maximis itineribus ad flumen *Grande* contendit & septem provincias quam ocissime transcurrrens, *Anilco* provinciæ finis ingreditur, in qua triginta leucas progressus, in principale municipium incidit: constabat illud circiter quadringentis ædibus, & flumen alluebat Bæti magnitudine 50 par, cui Reguli palatium imminebat in edi tocolle ædificatum: Regulus statim profugit nec umquam potuit revocari. Exercitus sine impedimento flumen traductus & per asperos & desertos montes *Guachacoyam* provinciam adiit; præcipuuſ hujus regionis pagus ad ripam fluminis in colle leviter acclivi situs, statim captus, regulo trans flumen profugiente: verum quum Hispanos ab Anilcone regulo bello petitos didicisset, cum quo ipsi veteres inimicitia intercedebant, prævertendum ratus, ul-tro ad præfectum redit & fœdere iacto, plurimos lembos adduxit; quibus in *Anilco*-nenses

nenses ex improviso impetus factus & à Guachacoyensibus immanissime fuit sanguinum, Hispanisque nequicquam impedire conantibus provincia penitus vastata.

Qui-gaultau-  
gi.

Hic præfectus multos lembos instruxit, flumen trajicere & in Quigaultangi provinciam transire meditans, quæ & fertilis erat & populo frequens, nam principale municipium quingentis domiciliis constabat: Cupiebat sane Præfectus per hanc provinciam sine ullo maleficio iter facere, sed Regulus abnuebat omnes pacis conditiones, Hispanis ultro minitans.

Denique Præfectus Hernandus à Soto hic primum febri tentari cœpit & valetudine desperata Ludovicum Moscosum de Alvarado sibi substituit, & postquam militibus concordiam inter se & obsequium erga Præfectum summopere commendasset, anno 10 ætatis quadragesimo secundo decessit; cadaver illius ligneo capulo compositum, fluvi mini, qua altissimum erat, immersum.

### C A P. VIII.

*Expeditionis quartæ in Floridam reliqua, duce Ludovico Moscofo  
de Alvarado, post excessum Hernandi à Soto.*

**P**ost Præfecti Hernandi à Soto obitum, magna animorum commutatio in exercitu illius est consecuta, nam quum se tam bellicosis nationibus numero & vi-  
ribus longe impares animadverterent, Floridam deserere consultius existimau-  
runt. Itaque primum versus occidentem, leucas pene centum magnis itineribus pro-  
fecti, multas provincias obierunt nec solo uberes nec habitatoribus frequentes, &  
ad Auchē provinciam devenerunt. Regulus humaniter exceptis, conductores in-  
super addidit qui illis per solitudines viam commonstrarent: verum quum jam octi-  
dui viam processissent, se à recto tramite deductos animadverterunt, & conductores  
canibus dilacerandos objecerunt, nequicquam obtestantes se Domini sui jussu id  
fecisse & intra triduum in rectam viam reducturos: cujus facti illos postea pænituit;  
& itinere versus occasum instituto, post triduum in aliam provinciam sunt ingressi,  
infœcundam quidem, non tamen cultoribus vacuam, ubi & modicum commeatum 30  
& bovillas carnes & tergora invenerunt; licet indigenæ permoveri non possent ut  
ipsis ostenderent, unde illa haberent. Provinciæ nomen *de los Vaqueros* inditum.  
Triginta leucas per eandem progressis occurserunt altissimi montes; ulteriora au-  
tem aspera atque inculta ab indigenis edocti, iter ad sinistram versus meridiem re-  
flectunt, levi damno in finibus ejusdem provinciæ à barbaris affecti. Viginti deinde  
diebus; per aliquot vicinas provincias vagati, quum longius se à Guachacoya, ad  
quam redire intenderant, discedere animadverterent, rursus ad orientem se con-  
vertunt, viam quam prius tenuerant oblique secantes, & dimidiatu demum Septem-  
bri ad eundem revertuntur transitum; licet autem cum barbaris nulla ipsis prælia  
fuissent, tamen nonnulli ex insidiis interfecti, plures variis morbis & omnium rerum 40  
R. Gran-de.  
Los Va-  
queros.  
Aminoia  
Quinal-

inopia interierunt. Sub exitum demum Novembribus ad flumen quod supra *Rio Grande* nominavimus, devenerunt, trecentis & quinquaginta leucis, qua eundo, qua  
redeundo, transcursis, & centum militibus & octuaginta equis amissis, præter mul-  
ta servitia barbara.. Ad ripam fluminis duo pagi erant, conjuncti, ducentorum cir-  
citer domiciliorum, quos licet jam tantum trecenti & viginti pedites & septuaginta  
equites superessent, primo tamen impetu ceperunt, ab incolis, qui statim diffuge-  
rant, desertos: copiosa hic annona inventa, nihilo tamen secius ex antecedentibus  
incommidis nonnulli passim deficiebant. Provincia hæc dicebatur *Aminoia*, sede-  
cim leucas supra *Guachacoyam* quam petebant. Sub exitum Januarii materiem ad ce-  
loces construendas cädere & parare cœperunt; Seni autem cuidam ex Indigenis 50  
præmonenti, flumen singulis quatuordenis annis, superatis ripis campos omnes la-  
tissime opplere, atque illud tempus jam instare, fides minime est habita.. *Anilco* &  
*Guachacoya* reguli omnia sedulo agebant ut Hispanorum amicitiam demererentur &  
imprimis *Anilco* qui ipsis tunicas ex herba quadam maluæ non absimili, barbaro ar-  
tificio contextas misit, egregio adversus frigoris asperitatem munimento; ex ea-  
dem herba & funes nauticos contorserunt. In adversa ripa, ingens provincia

Qui qual tan qui prætexebatur, cuius Regulus clanculum se in Hispanorum exitium ar- Qui-  
mabat, vicinis Regulis ad Societatem belli vocatis, & imprimis *Anilcone*, à quo in- qual tan-  
dicum factum. Interea dum Hispani in celocibus suis ædificandis occupantur, &  
barbari bellicos suos apparatus faciunt, flumen decimo Martii crescere & inflari cœ- qui.  
pit, ita ut jam decimo octavo die ripas suas egrediens, castrorum portis affundere-  
tur & vicinos campos, viginti & plures in ambitu leucas, longe lateque inundaret:  
sub exitum demum Aprilis decrescere cœpit, verum adeo lente, ut vigesimo May  
semitæ nondum vestigia paterentur; sub exitum autem illius mensis tandem intra  
consuetum alveum constituit. Vicini interea barbari sedulo ad bellum se compa-  
rabant, & licet *Anilco* eorum consilia & quæcunque ab ipsis designabantur fideliter  
ad Præfectum deferret, & subditorum suorum auxilia prolixe promitteret, tamen  
haud multum ipsi fidebant Hispani. Barbari autem qui adversus Hispanos fœdus  
iniverant, Legatos in speciem ad Præfectum miserunt, revera ut consilia illius &  
molitiones specularentur, quos ille truncatis manibus, ut reliquos terreret, dimisit,  
atque ita conspiratio paululum elanguit. Barbaris propositum erat Hispanos dis-  
cedentes lembis suis persequi & prout sese occasio obtulisset, invadere: quod Hispa-  
nis gnarum, ideoque quum omnis salutis spes sita esset in celeritate discessus, septem  
liburnicas quas paraverant deducunt, & porcos omnes, octodecim tantum exce-  
ptis maestant; *Anilconi* atque *Guachacoyæ* regulis, singulis siue cum porco ad fætu-  
ram faciendam relinquunt; Dein linctres comparant ad equos tres & triginta, qui  
ex omni numero supererant, devehendos; & Regulis inter se reconciliatis, trecentos &  
quinquaginta milites navibus imponunt, cum barbaris aliquot viris atque fœ-  
minis, qui ultro ipsos voluerant comitari. Rebus omnibus rite paratis, die qui *S. Pe-  
tro* sacer habetur, solvunt & naves velis atque remigio impellunt: postero die mil-  
le lemborum classem, quorum nonnulli viginti & quinque remis utrimque impelle-  
bantur, in se ferri animadverrunt, ingenti barbarorum multitudine refertam; qui  
statim densum sagittarum nimbum in Hispanos effuderunt, plurimosque sauciarunt:  
decem continuis diebus Hispanos ad hunc modum insecuri, paulum remiserunt:  
itaque Hispani centum pedites & octo equites in terram exponunt, ut è viculo jux-  
ta ripam fluminis posito, annonam raperent; ii viculum ab incolis desertum ingressi,  
plurimum annonæ ibidem congestum deprehenderunt, verum incolis ex improviso  
reversis fugere & ad naves se recipere sunt coacti, relictis equis, quos barbari statim  
sagittis confecerunt. Classis quoque hostilis sub id denuo in illos invecta, lembum  
unum cum equis eripuit. Decimo sexto dein die, gravius damnum quorumdam  
Hispanorum temeritate acceptum, nam quum quinque milites in barbarorum insi-  
dias præcipitassent, pluresque quam à Præfecto jussi fuerant, subsidio festinarent,  
quadraginta & octo viri à barbaris circumuenti & lembis illorum demersis, remis  
contisque inter natandum interfecit: atque hic barbari insequendi finem fecerunt,  
quum pene quadringentas leucas, nisi Hispanos hic itinerum ratio fefellit, ipsos  
40 fuissent secuti. Flumen hic ita latum erat ut ripæ utrimque conspici vix possent, ita  
ut se jam mare ingressos suspicarentur; verum decimo nono demum ex quo solve-  
rant die illud attigerunt, & insulam ostio fluminis objectam offendentes, exscensio-  
ne facta in illa paululum conquiererunt. Hic rationibus itinerum subductis se octin-  
gentas leucas secundo flumine devectos compererunt, quod tamen minus verisimile videtur.

Hic consilium ceperunt Novam Hispaniam petere, itaq; hinc solventes, cursum ad  
occasum dirigunt & Floridæ littora à dextera radentes, decimo quinto die appellunt  
primò ad insulas mergis refertas & max ad nemorosum littus, ubi bitumine quodam  
instar picis invento, liburnicas suas, quæ jam rimas agere cœperant, refecerunt; octo  
50 tantum barbaris conspectis, quos ne quidem ubi locorum essent interrogare ipsis  
curæ fuit. Quinquagesimo denique & tertio die postquam à fluminis ostio discesse-  
rant, apertias valide in fluctus incumbens classem disjecit; duæ liburnicæ haud  
ita longe à littore abreptæ, Panuci fluminis ostium subintrarunt, uti & paulo post  
cæteræ: atque ita tandem pedestri itinere ad urbem Mexicanam incolumes perve-  
nerunt, anni cl̄o l̄o XLIII autumno jam vergente. Hic quartæ hujus Hispanorum  
in Floridam expeditionis exitus fuit, quam ex Hispanorum commentariis, licet  
dubia

dubiæ fidei & propter incertas Regionum locorumque designationes, haud magni momenti, tamen paulo prolixius retulimus, ne quæ à multis magno molimine tradita fuerant, incuriosius prætermissoe videremur.

## C A P. IX.

*Gallorum prima expeditio in Floridam, Joanne Ribaldo duce.*

**Q**UAM ut superioribus capitibus à nobis narratum, expeditio *Hernandi à Soto*, <sup>10</sup> quæ fere intra fretum Mexicanum substituit, tam infeliciter & infructuose cessisset, dudum in hac parte ab Hispanis cessatum: Galli vero animum ad Floridam adjecerunt, auspice imprimis *Gaspare Colinio Castellionæo* maris Gallici præfecto, illustris memoræ Heroe, qui anno c<sup>lo</sup> l<sup>o</sup> LXII *Ioannem Ribaldum* eodem destinavit, cum duabus regiis navibus & copioso milite, (quorum quam plurimi nobilis erant) largo commeatu & bellico apparatu. *Ribaldus* è Gallia mense Februario profectus & duorum mensium iter, non usitato prius Hispanis cursu, emensus, ad Americæ Septentrionalis continentem appulit loco importuoso & præaltis silvis ab Æquatore versus Arctum. Erat autem terra haud admodum alta, (siquidem Floridæ littora fere leniter declivia sunt & vadosa,) sed proceritate arborum modice se-  
F. Del-  
phin.  
F. Majus. se attollens. Inde oram ad septentriones sequentibus, flumen occurrit amœnum, *Delphinum* (quod juxta illud hujusmodi pisces in mari natantes vidisset) ab ipso postea dictum. Dein fluvium *Maium*, (à mense, quo illum primum vidit, sic appellatum) subiit, amplum & amœnis ripis, ubi ab indigenis humaniter acceptus, fecus ripam columnam erexit, cui Galliæ insignia insculpta erant: in opposita ripa ab indigenis ad eundem modum excepti, silvas crebris moris albis juxta ac nigris consitas conspexerunt, in quibus & bombyces sericeo operi faciendo sponte enatos se invenisse narrant.

**S**equana. Inde egressos alterum flumen exceptit, quod *Sequanam* dixerunt; & mox ter- <sup>30</sup>  
**S**omona. tium quod *Somonam*, & sex ab hoc leucis quartum, quod *Ligerim*; atque ita porro  
**L**igeris. alia quinque, quæ *Carantonum*, *Garumnam*, *Girondam*, *Bellum* & *Grande* indigitarunt. Hinc ulterius ad Arctum tendentes, ut flumen *Iordanis* inviserent, & valida tempestate aliquandiu jactati, ad aliud flumen pervenerunt quod *Bel à Veoir* dixerunt: Atque hic celoces venti vehementia paulo ante abruptæ ad ipsos redierunt, quæ nunciarunt haud longe hinc abesse flumen cæteris omnibus longe majus, ad quod proiecti, anchoras intra ostium fixerunt; huic *Portus Regalis* nomen impositum, duobus & triginta gradibus ab Æquatore versus arctum.

Hic solum ad utrumque ripam supra modum erat amœnum, nemorosum & proceris quercubus atque cedris undiquaque obsitum, humilibus insuper lentiscis <sup>40</sup> gratum odorem spirantibus: feræ in silvis innumeræ; maxima perdicum, gallopavorum & indicarum gallinarum copia: flumen omnigenis piscibus egregie fætum, & imprimis squillis (quas *Sallicoques* Normanni vocant,) cammarorum magnitudine: Exit inter duo promontoria in mare, ore tria millaria Gallica lato; intus autem dispescitur in duos veluti ramos, quorum unus ab occasu, alter ab Arcto descendit, in media insula jacet, peregrinis animantibus scatens.

Flumen autem tria millaria subvecti rursus anchoras jecerunt; & scaphis ascenderunt ad duodecim millaria; hic indigenæ inopinato advenarum aspectu territi fugerunt & lupum cervarium veru suffixum & semitostum reliquerunt, à <sup>50</sup> quo loco nomen inditum *Cap. Lucerne*. Hinc ad tertium fluminis divortium ventum, cuius accolæ, quum primo fugissent, mox redierunt & Gallos humaniter acceperunt, & ferarum pellibus & corribus (qui è palmarum foliis industrie facti erant) & paucis unionibus donarunt. Aliquantum deinceps itineris progressis, alias amnis occurrit quem *Liborne* nominarunt: uti & amœnissimam insulam quam complectitur *Cedrinam*. Hujus provinciæ Regulus duos viros illis concessit, qui primo

primo paululum tergiversati, mox lubentissime Gallos sunt secuti: hi narrabant magis ad Arctum habitare potentissimum quendam Regulum *Chiquolam*, & vastum admodum oppidum possidere, aliaque mirabilia. Posthęc *Ribaldus* suorum animis pertentatis, quum viginti & sex h̄ic hibernare paratos cognovisset, exiguum munimentum tumultuario opere construxit, quod sedecim in longitudinem, tredecimque in latitudinem decempedas patebat, & Carolinum fuit appellatum: Colonis *Albertum* vice sua præfecit; & postquam utrosque decoris & officii sui admonuisset, cum reliquis solvit, & leni Africo afflante, quindecim milliaria versus septentriones proiectus, flumen habuit obvium, quod quia in ostio vix dimidiā orgyam altum erat, *Bassum* dixerunt. Quumque mare in progressu magis magisque vadosum deprehendiissent, reflexo ad orientem itinere, felicissimo cursu Diepam redierunt vigesimo Julii ejusdem anni.

*Albertus* autem, vicinarum provinciarum statum à barbaris edoctus, primum Regulum *Andustam*, mox & alios minores dominos *Touppam*, *Majon*, *Hoyam* & *Stalamen* invisit, à quibus per amice hospitio fuit suscepitus. Galli interim annonæ penuria laborare cæperant, nec à vicinioribus barbaris poterant juvari, quum & ipsi egerent & herbis atque radicibus vicitare cogerentur: Verum quum indigenarum indicio cognovissent, duos germanos *Convexin* & *Ovaden*, regulos ad austrum incolentes, annonā abundare, ab iis auxilium petere proposuerunt: ad *Ovaden* primò ventum, qui ripas fluminis *Belli* accolebat, viginti quinque ab ipsorum munimento milliaribus: à quo per amice accepti domum illius aulæis, quæ è versicoloribus avium plumis eleganter contexta erant, undique ornatam repererunt; & liburnicam suam mayzio & phaseolis onustam reduxerunt. Verum mox quorundam negligentia, maximum illorum domicilium flamma totum consumxit, pauxillo annonæ ægre servato: domicilium quidem novum à barbaris uno die structum; & annona secundo ab *Ovade* haud difficulter impetrata fuit, qui uniones & crystallum atque argenti ramenta (quæ decem dierum itinere à sua provincia sub montibus erui narrabat) liberaliter donavit.

Ad munimentum reversos, seditio militum exceptit, qui nimiam præfecti severitatem haud amplius ferentes, ipsi exitium maturarunt & *Nicolaum Barrensem* in locum illius communibus suffragiis suffecerunt. Premebantur jam in dies magis atque magis annonæ penuria, & promissa è Gallia subsidia nequaquam comparebant; itaque discedere certi, navigium parant, & modico tantum commeatu imposito, in Galliam vela faciunt: inter navigandum autem ob viginti dierum malaciam in tantas annonæ angustias sunt redacti, ut, horrendum dictu, unum è sociis mactare & humanis carnibus viscera sua explere cogerentur; tandem tamen in patriam redierunt inedia & mœrore pene enecti, ope cuiusdam Angli, qui paucis in Gallicum littus expositis, reliquos ad Reginam Elisabetham, quæ animum ad Floridam adjectura videbatur, reduxit.

40

## C A P . X .

*Secunda Gallorum expeditio in Floridam duce Renato Laudonerio.*

**B**E L L O civili in Gallia, quo factum fuerat ut *Ribaldus* suis suppetias temporis submittere non potuerit, extincto; *Colinius* qui jam in gratiam cum Rege redierat, denuo expeditionem in Floridam cœpit urgere: huic commendatione *Coliny* præfectus *Renatus Laudonerius* qui superiore expeditione Ribaldum fuerat comitatus, & centum quinquaginta librarum millia attributa in stipendia militum & reliquos navigationis sumptus. Is tribus navibus, quarum una centum viginti, altera centum, tertia sexaginta doliorum capax erat, Franciscopoli rite præparatis, & plurimis colonis atque idoneo omnis generis fabrorum numero in naves impositis, è Gallia vigesimo secundo Aprilis anni 1564 solvens, quinto May tenuit 1564. *Teneriffam* è Canariis insulis unam, ibidemque aquavit. Unde proiectus quinto & decimo die Insulam *Matinino* & mox *Dominicam* attigit; ubi exscensione facta, à barbaris primum benignè excepti fuerunt, verum quum licentia militari grassarentur & incolarum hortos invaderent, fructusque illorum ipsis invitatis carperent,

perent, pulsū, unoque suorum desiderato, naves repeterē sunt coacti. Hinc alias minorēs insulas *Santos*, *S. Christophori*, *Rotundam*, *Anguillam* & *Anegadam* prætervecti, Majus fl. nusquam mora facta, vigesimo Junii Floridæ continentem adnavigarunt, & *May* fluminis æstuariū sunt ingressi. Hic provinciæ illius Regulus (*Paracoussi* vocabant barbari) statim ad ipsos venit cum duobus filiis adolescentibus & suorum non contemnenda multitudine, iisque exultabundus redditum gratulatus, columnam quam *Ribaldus* hic statuerat, integrum & lauris atque corollis redimitam ostendit.

Regulo *Saturiova*, majori autem filio *Athore* nomen erat, qui Præfectum Laudonérium lamina argentea donavit. Dein Flumen lustrandi gratia ingressi, ab accolis fausta acclamatiōne *Ami Ami* sunt accepti, & Regulum ex itinere visitarunt qui centum quinquaginta annos ætate superare & ad quintam usque generationem filios nepotesque numerare ferebatur.

Ad *Saturiovam* reversi, argentum omne ex *Timagoa* provincia, quæ longè aberat, deduci docentur, & quia *Saturiova* sibi capitales inimicitias cum *Timagoa* intercedere profitebatur, auxilia sua ipsi prolixè deferunt. Hinc quatuor milliaria ad flumen *Sequanam* & sex ad *Somonam* progressi à Regulo illius provinciæ, cui uxor & quatuor filiæ satis formosæ aderant, perhumaniter salutantur & paucis orbiculis argenteis dominantur: verum quum juxta *Majum* flumen sedes figere, ob annonæ abundantiam, & aurum argentumq; è vicinis provinciis eruendi fiduciam consultius judicassent, cursum retro flexerunt, & xxix Julii eodem unde profecti fuerant, sunt reversi. Hic oppidulum triangulari forma conditum *Arcis Carolinae* nomine; partem valli occidentalem cespitibus, australē lignorum fascibus & arena:qua flumine alluitur, ligneo sepimento muniverunt; ædificia humilia condita, qualia hæc regio tantum patitur ob ventorum vehementiam; furnum extra vallum, ut incendium vitarent, submovebunt.

*Laudonerius* inter ea Legatum suum *Otignium* flumen ascendere jubet, ut quæ de *Timagoa* ex Regulo cognoverat, è propinquo specularetur: Ille circiter viginti milliaria adverso flumine subvectus, incidit in *Timagoenses*, qui quum illos aurum argentumve amicè postulasset, responderunt se jam nullum habere, verum si vellent, ad locum unde haberi posset, lubenter conducturos; qua conditione accepta, unum suorum cum illis dimittit; verum hoc longiores moras trahente, circiter decem milliaria provehitur *Otignius*, atque ibidem militem suum naētus, quum animadverteret illum tantum pauxillum auri invenisse, & barbari ulterius ad *Mairram* regulum, qui auro argentoque abundaret, se ducturos reciperent, illum quidem inter barbaros reliquit, ipse vero ad oppidum remeavit. Præfectus quindecim dies præstolatus, Tribunum *Vassurium* cum aliquot militibus mittit, ut militem illum reducerent; qui quum biduum navigassent, monentur à barbaris, Gallum illum apud Regulum *Mollavam*, maximi Principis *Olate Ovautine* vasallum, divertere; quare ad hunc properantes à *Mollava* peramicè sunt suscepti, & militem suum qui jam quinque libras argenti ab indigenis erat mercatus, receperunt. De *Olate* hæc compererunt, illum quadraginta regulis imperare, & inter hos *Cadecham*, *Chililum*, *Eclanovum*, *Enacapen*, *Calanyum*, *Anachataquam*, *Omittaquam*, *Aequiem* atque *Mocosum* facile primos esse; Eundem complures habere hostes & imprimis *Saturiovam*, cui triginta reguli parerent, & *Patanoum*, *Houstaquam*, *Onathequam* ad montium radices incolentem; plerosque autem *Olate* subditos auro atque argento abundare. Vigesimo octavo Julii naves in Galliam remissæ.

*Saturiova* regulus Præfectum inter ea urgere institit, ut promissorum memor, cum ipso adversus *Timagoam* moveret, sed illo modeste se excusante, ipse cum valida suorum manu ex improviso *Timagoenses* aggressus, multos mortales cecidit & captivos aliquot abduxit. *Laudonerius* qui pacem inter vicinos conciliare maxime cupiebat ut remotiores barbaros unitis viribus facilis opprimeret; duos captivos à Regulo petit, & quum non impetrasset, invito illos eripit, & uni è suis tribunis *D. de Arlac* committit ad *Olatam* reducendos. Hic decimo Septembbris iter ingressus, ad *Majarquam* pagum ascendit, qui octuaginta milliaria à Gallorum colonia aberat, atque inde pervenit ad *Olatem*; cum quo adversus *Patanoum* regulum pugnavit, & pagum illius ex improviso cepit, multis barbaris cæsis, captisque: atque ita cum modico

modico argenti, & levi auri pondere, aliisque rebus, quas *Olatā* Præfecto dono mittebat, ad suos rediit.

Advenerat interim navis è Gallia, statimque fuerat remissa; multorumque animi jam manifestè spectabant ad seditionem, Præfecti authoritate jam labante: Nautæ quos & ipse adduxerat, qui que è postrema illa navi remanserant, celoces duas quas paraverat, clam subducunt ut in Mexicano freto & circa Havanam pyraticam facerent; haud segnius tamen alias duas construxit, quæ statim itidem à seditiosis militibus abreptæ; una tamen quæ jam ad Jamaicam penetraverat, quorundam industria, quos tantæ perfidiae pœnitiebat, postea ad ipsum fuit reducta, & de præcipuis seditionis & fugæ authoribus sumrum supplicium.

Porro quum Præfectus è duobus barbaris, quos *Marracouī* regulus (qui quadriginta milliaria à colonia Gallorum ad Austrum degebatur) miserat, intellexisset, duos barbatos ab *Onathaqua* & *Matthiacæ* regulis custodiri, nihil prius habuit quam utrumque ad se accersere: Erant autem Hispani, qui ante annos quindecim, è navibus apud Martyrum scopulos fractis, incolumes in Continentem evaserant & pervenerant ad Regulum *Calos*; de cuius potentia & divitiis mira narrabant, quippe qui è fractis Hispanorum navibus maximam pretiosarum mercium partem servasset. Locorum autem hunc esse situm designabant: *Onathaquam* ad orientalem Floridæ 20 plagam, haud procul à Promontorio quod hodie *Cannaveral* vocant, incolere; huic ad occidentale Floridæ latus pene oppositum esse *Calos*, quatuor aut *Calos*. quinque dierum intervallo; & pari pene spacio utrumque locum abesse à Promontorio, quod *Caput Floride* appellant: In medio Insulam amnicam circiter quinque milliaria ambitu complecti, *Sarrope* indigenis, quæ optimis fructibus & præsertim *Sarrope* palmis abundaret.

Post ea Laudonerius versus arctum ad *Audustam* misit in cuius provincia Galli anno c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup> LXII hibernaverant; qui & annona illos iuvit, & ut apud se sedes figerent invitavit: nec non ad viduam *Hiocaje* reguli, quæ duodecim milliaria ab oppido incolebat, à qua & mayzii copia perbenignè subministrata. Deinde & celoces 30 suas adverso flumine submisit, quæ triginta milliaria supra *Matthiaquam* provectæ, ingentem lacum offenderunt cuius adversæ ripæ conspici non poterant; inde redeuntes, Insulam *Edelano* longe amoenissimam adierunt, quam amnis trium milliarium ambitu circumluit; & mox *Eneguape*, *Chilyli*, *Patica* & *Coia* provincias, unde pedestri itinere *Olatam* in viserunt, & quidam apud illum manserunt. Qui quum postea narrassent, *Houstaqua* provinciam à se aditam, quæ *Apalacti* montes proxime contingat, è quorum radicibus torrens descendit, argenti ærisque ramenta secum deferens, certissimo indicio montes illos metallis abundare; Præfecto consultum vixim simul ac supplementa è Gallia advenissent, coloniam novam magis versus Arctum deducere, ut ad hos montes, qui ab arce Carolina aliquot dierum itinere versus Corum declinant, facilius penetraret.

Hæc meditantem annonæ penuria afflixit, itaque duas naves parat, quibus suos in Galliam reduceret, & ne interim fame perirent, *Olatam* regulum inopinantem intercipit, nullo in præsens emolumento, quum barbari non modo annonam non subvehcerent, sed & Gallos gravissimo bello pene opprimerent: Commeatus tamen, quantum sufficere putabant, hinc inde conquisitus, præsertim è flumine *Iracana*, cui *Somona* nomen indiderant; jamque vallum demoliri cæperant, quum *Iracana*. *Ioannes Haukinus* Anglus cum quatuor onerariis tertio Augusti anni c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup> LXV su- 1565. pervenit, qui Laudonerio unam navem cum largo commeatu vendidit.

## C A P . XI.

50

*Tertia Gallorum expeditio in Floridam duce Joanne Ribaldo.*

**D**UM hæc à Laudonero in Florida geruntur, nonnulli, qui in Galliam fuerant remissi, varia in illum crima confinxerunt, quibus Rex Galliæ permotus, *Ioannem Ribaldum* denuo misit, qui in Præfectura succederet, illumque in Galliam remitteret. Is xxviii Augusti anni c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup> LXV in Floridam pervenit, quum

K 2

Laudo-

Laudonerius omnia ad discessum jam comparasset. Adventu illius cognito, vicini Reguli *Homoloa*, *Seravatri*, *Almacani*, *Malica* atque *Casti*, novum Praefectum inviserunt, variaque obtulerunt munera, simulque promiserunt se ducturos illum ad montes *Apalaeti*, è quibus rutilum quoddam metallum erueretur, quod ipsi *Sieroa Pira* appellabant & aurum esse putabatur. Tria minora navigia, quæ *Ribaldus* adduxerat, jam flumen ascenderant, quum sex majora Hispanorum, ostium fluminis ingressa, juxta quatuor Gallorum onerarias, anchoras jecerunt; Galli quum se Hispanis impares cernerent, licet illi nihil adhuc hostile molirentur, relectis anchorarum fūnibus, vela explicant atque altum petunt; nec segnius Hispani illos persequuntur, quatiuntque majoribus tormentis; verum quum Gallos asséqui non possent, ad continentem *ela* vertunt, & in ostio fluminis, quod barbaris *Seloy*, Gallis autem *Delphicum* dicitur, naves suas constituunt (distat id à *May* æstuario circiter leucas octo) ibique exposito milite ac machinis aliquot, castra ope Nigritarum, quos magno numero adduxerant, communiunt. Quod quum *Ribaldus* per *Cofetum* navarchum cognovisset (naves enim Gallicæ jam ad portum redierant) Tribunos militum in consilium advocatos, quid factò opus sit, interrogat. Aderant *Grangaeus*, *Ottinius*, *Sanmarianus*, *Vestinus*, *Ionvella*, præcipui duces, qui omnes præente *Laudonerio* censuerunt, summa diligentia munitioni Carolinæ firmandæ incumbendū esse, nec infestâ turbinibus ac typhonibus tempestate, classem fluctibus committendam; nam profectionis quidem tempus certum, redditus incertum esse, periclitari interim munitiō nem, tam vicino hoste. *Ribaldus* contra disserebat, in hostes quantocius ducendum antequam vires colligerent, & munimentum in propinquuo extruerent; initia bellorum fama constare, defecturos sensim vicinos Regulos, qui odio Hispanorum haecenus Gallicis partibus faverant, si audierint illos ad primum Hispanorum adventum trepidantes castris ac munitionibus se continere; & ut pondus sententiæ suæ adderet, literas *Castellionai* promit, quibus hæc erant addita: dum istas obsignaturus essem, de *Petri Melendes* ad Novæ Franciæ oram profectione certior sum factus, tui officii est prospicere ne quid Hispani in nos moliantur, sicuti nos nihil ulro in ipsis movere æquum est. Ita non auditis cæterorum Tribunorum sententiis, imposito in naves milite & abductis secum *Ottinio* & *Arlaco*, atque expeditissimo quoque Laudinerianorum x Septembbris altum petit; & horrenda tempestate, (quæ ad Kalend. Octobres tenuit,) eodem die jactatus, demissis antennis, venti vehementiam declinare cogitur. Naves Gallicæ, supra quinquaginta ab arce leucis, scopulis illisæ confactæque perierunt, salvis tamen plerisque qui illis vehebantur. *Laudonerius* (ut ipse prodidit) cum octuaginta & quinque, qua viris qua fœminis atque pueris, & plerisque invalidis in arce Carolina destitutus (alii ad ducenta & quadraginta capita fuisse tradunt) quum haud immerito sibi metueret, vallum cœpit restituere. Hispani vero duce itineris *Ioanne Francisco Gallo*, quem muneribus corruperant, incredibili celeritate stagna, silvas, & flumina transgressi, duce *Petro Melendes* duodecimo Kal. Octobres, ex improviso ad arcem advolant, paulo ante solis ortum, pluviosa admodum tempestate; *Vigneus* autem qui stationibus præterat, solutis jam excubiis & vigilibus ad quietem capiendam dimissis, è propinquuo hostes per clivum expansis vexillis descendere conspicatus, ad arma conclamat: Galli vix lecto se molientes, impetu à diversis partibus in arcem facto, intercipiuntur; hostes post leve certamen vallo potiti, in area signa constituunt; inde promiscua cæde in milites, fœminas, pueros, ægrotos ac senes grassatum. *Laudonerius* licet adhuc è morbo debilis, non sine summo discrimine, cum paucis suorum per paludes ad naves à Ribaldo relietas evasit, & tandem in columis rediit in Galliam: reliqui diversis suppliciis interierunt. Joannes Ribaldus qui maris rabiem evaserat, haud perinde hominum crudelitatem potuit effugere, nam quum se suosque, fide ab Hispanis accepta, dedidisset, ab iisdem contra fidem datam crudeliter est interfactus. Supra sexcentos ea clade periisse scribunt; Gallicumque nomen penitus in Florida deletum.

## C A P. XII.

*Quarta expeditio Gallorum in Floridam duce Dominico Gurgio.*

**C**LADES Gallis ab Hispanis crudelissimè in Florida infictas, quum Rex Galliæ scissa factionibus aula aut contemisset aut odio Protestantium (quales fere cuncti fuerunt qui perierant) atque adeo ipsius *Colony* (cujus consilio ex-  
peditiones erant susceptæ) dissimulasset, inventus est tandem homo privatus, qui no & aliis.  
10 sive suæ sive publicæ injuriæ sensu stimulatus, contumeliosam Hispanorum crudeli-  
tatem inultam ferre diutius non potuit. Is fuit *Dominicus Gurgius* Monte-marsani  
in Novempopulania natus, ingenio acer & manu promptus, qui tria navigia medio-  
crica instruxit & cœ delectos milites & circiter LXXX nautas imposuit, assumto le-  
gato *Casanova* & *Francisco Burdegalensi* qui uni navigio præcesset; Cumque iis, celato  
consilio xij Kal. Septemb. anni clxvii solvit, & superato *S. Antonii* promon-  
tatio, per fretum Bahamense ad *May* fluminis pervenit ostium. Hispani populares  
suos rati, quum displosione tormentorum ipsos salutassent, Gurgius illos vicissim ut  
in illo errore confirmaret, resalutavit: tum prætervectus alio se ire simulavit, donec  
à loci illius conspectu se subduxissent: Dein quindecim ab illo æstuario leuis ad  
20 ostium *Sequane*, (quod flumen Barbaris *Tacatacouru* dicitur) excensionem fecit; Tacata-  
ubi accurrentibus ad littus indigenis armatis, quum signa pacis dedisset, & missa tu-  
bicine, venisse se à Rege Francorum, ultro amicitiam suam & patrocinium afflictis  
deferente, nuntiasset, post mutuas lætitiae & gratulationis significationes eo die di-  
scessum. Postridie *Saturiova* cum filiis ac Regulis sibi subditis, & inter eos *Molona*  
& *Almacane* ad illum venit, & positis utrumque armis, confederunt. Heic *Saturiova*  
per interpretem de injuriis ab Hispanis acceptis conquestus, paratos se ac suos dicit  
ad ulciscendam & privatam & iporum injuriam, cum Gallis fœdus icere; quod sta-  
tim factum & munera utrumque data & accepta; tum per *Petrum Breum*, qui ex la-  
niena servatus apud *Saturovam* latuerat, exploratus hostium status, missique periti  
30 qui munitiones inspicerent: *Olotocara* Saturiovæ propinquo sedulam Gallis operam  
navante. Dein inter eos dies condicitur, quo Reguli cum suis more Gentis ad pu-  
gnam instructi convenient. Nusquam majori fide & quod fidei pignus est majore  
cura silentium servatum.

Præter *Carolinam* ab Hispanis post Ribaldinam cladem restauratam, aliæ duæ  
munitiones hinc inde in ripis *May* fluminis inferius versus mare extructæ fuerant &  
L. militum præsidio & tormentis, quæ Gallis eripuerant, armatae: In tribus illis mu-  
nimentis quadrangenti omnino delecti Hispani erant.

Quum igitur die condicto cuncti ad *Somonam* convenissent, potionem quam  
*Cassinen* vocant, biberunt, id barbaris solemne est, quoties ad periculosam expedi-  
40 tionem proficiscuntur, quod ejus beneficio & animos incendi & famem atque sitim  
diutius tolerari posse credant; atque ita iter aggressi sunt. *Gurgio* propositum erat  
ante primam lucem Hispanos ex improviso aggredi, sed itinerum ob crebras pluvias  
difficultate factum est ut Sol ante oriretur quam in conspectum castellorum perveniri  
posset; quod quum Gurgium male habere animadverteret *Helycopyle*, commodiore  
itinere, sed paulo longiore, per sylvam copias circumduxit, & reperto vado Gallos  
mense Aprili anni clxviii minus flumen traduxit & ad Castellum Hispano-  
rum stitit quod ad dexteram ripam erat situm. Ibi post aliquot tormentorum displo-  
sionem quum *Olotocara* servandorū ordinum ignarus in aggerem insiliasset & tormen-  
torium sarissa confodisset, in sequente cum suis Gurgio, locus capit: nec mora in-  
50 terposita barbari quidem natando, Gurgius autem cum LXXX sclopetariis navigio  
quod commodum supervenerat in adversam ripam evadunt & alterum castellum vi  
expugnant atque diripiunt: Elapsi fuga præsidiarii, ab indigenis qui jam vicinam  
sylvam insederant, intercepti; utrobique centum & viginti Hispani imperfecti, ex-  
ceptis triginta qui ad supplicium servati sunt. Supererat Arx *Carolina* quæ duo  
milliaria aberat, in qua trecenti præsidiarii erant sub ipso Præfecto, qui obsidionem  
toleraturus credebatur, donec auxilia Hispanis submitterentur: *Gurgius* quum  
1568.

ex captivis cognovisset, Hispanos credere, duo millia Gallorum sibi imminere, simulque Castelli situm atque aditus penitus explorasset, neutquam sibi cunctandum existimavit, sed hostes quantocius opprimendos, antequam Gallorum paucitate cognita ex timore se se recolligerent: itaque octo scaphis paratis & Tribuno Hispano captivo viæ duce usus, quum tota nocte iter fecisset, mane in conspectum Arcis venit: hinc inde per lucos circumpositos barbari abditi, ne exitus fugientibus pateret: Ipse quum ad partem humiliore fossa vallatam vim facere decrevisset, is qui loco præterat, LX è suis mittit, qui de Gallorum statu cognoscerent; sed *Casanova* se medium cum viginti delectis interponente, interclusi illi & ad unum omnes à *Gurgio* cæsi: quo casu territus loci Præfectus, dum cum suis in lucos vicinos se subducere tentat, ab Indis pene interceptus est. Ita capta Arx & tormenta aliaque impedimenta in potestatem Gallorum venerunt: captivi ad vicinas arbores laqueo suspensi, addito elogio, cum iis non ut Hispanis, sed ut proditoribus, & percussoribus aëtum; siquidem *Melendez* Gallis superioribus annis interfectis superscribi jusserrat, non tanquam Francos, sed tanquam Lutheranos habitos esse. Quibus actis *Gurgius* quum suas copias tot locis custodiendis impares animadverteret, barbaris ut castella demolirentur persuadet, & tormentis, aliaque præda in naves imposita, relata Florida in Galliam rediit.

Postilla Galli nullam Floridæ rationem habuerunt; & *Gurgius* non modo nullum tam præclari facinoris præmium tulit, sed periculum vitæ & fortunarum adiit, apud amicos latitare coactus, donec tempora mutarentur.

## C A P. XIII.

*Florida situs atque limites secundum Hispanos.*

**H**A C T E N V S res in Florida gestas ab Hispanis atque Gallis, ex commentariis utriusque gentis retulimus; superest jam ut illius situm & limites paulo accuratius explicemus.

FLORIDÆ nomen apud Scriptores Hispanos nonnumquam latissima significacione sumitur, pro omnibus illis Regionibus, quas *Petrus Melendez* amplissimo diplomate à Rege Hispaniarum in Præfecturam accepit; nonnumquam propria & strictiore, pro ea parte quæ primum hoc nomine à *Poncio* est insignita. Priore significacione complectitur ingentem terrarum tractum, inde à flumine *Palmarum*, viginti duobus ab Äquatore gradibus versus Arctum, ad Promontorium *Bacalaos* usque, quadraginta & octo gradibus ab Äquatore: intra quos limites CI CC LVIII leucas, secundum littorum ductum, numerantur; itemque quicquid terrarum secus oram maris & intra continentem lustrandum & detegendum restat, à quadragesimo octavo gradu septentrionali ad septuagesimum tertium. Atque harum quidem regionum illæ, quæ à flumine *Palmarum* ad promontorium *S. Helena* & flumen *Iordanis* pertinent, leucarum circiter sexcentarum intervallo jam dudum secundum littora ab Hispanis lustrari cæperunt: nec non sinus *S. Iosephi* qui à flumine *Palmarum* abest leucas LXXX versus Arctum; Insulæ denique illæ quas *Terram Novam* appellamus. Totus autem hic terrarum tractus Continens est, cœlo atque aëre bene temperato, solo plerisque locis fœcundo & culto, atq; adeo indigenis haud infrequentis, quemadmodum ab Hernando à Soto & aliis est observatum; denique *Ioannes Pardus* *Cuenca* in Hispania natus, paulo minus biennio has provincias (ut narrat Herrera) obambulavit, & pedestri itinere è Florida in Novam Hispaniam pervenit.

*Florida* autem propriè & strictius sumta, complectitur regionem illam, quæ Cubæ insulæ ex adverso objacet & inter duo maria (haud secus atque Italia) ab Austro in Arctum centum pene leucis in longitudinem protenditur, viginti quinque leucas aut ubi maxime dilatatur triginta in latitudine patens; Atque hæc propriè Floridæ nomen accepit à *Ioanne Poncio*, servatque hodie; Nisi quod communiter medium viam sequuntur (quod & nos probavimus) & Floridam inter Novam Hispaniam & Virginiam Anglorum concludunt. Porro hujus regionis Cæli Solique natura à Castellæ in Hispania temperie & fœcunditate non multum abludit, nam & fructus pene similes hic inveniuntur & ager pascuis abundat & solum tritici aliarumque fru-

gum

gum feracissimum existimatur. Nulla hic auri metalla; neque auri aut argenti notitiam olim habuisse indigenas verisimile est, quippe quum ne argentum quidem in littora illorum è fractis Hispanorum navibus ejectum, colligere operæ precium duxerint, antequam metalli hujus precium ab Europæis didicissent. Unionum tamen copiam volunt habuisse in mediterraneis, si fides Historiæ, quam jam ante re tulimus, non vacillat: non levi enim conjectura adducor ut credam, aut Esurgni aut quid simile fuisse, quod Hispani pro unionibus acceperint; licet non abnuerim minutiores (forte etiam modicas) Margaritas hic, uti & alibi reperiiri, sed juxta littora aut in æstuariis fluminum; sed in amnibus aut paludibus procul à mari 10 ostrea margaritifera vera generari, nondum legi à quoquam observatum.

## C A P . XIV.

*Cæli solique natura & mores Indigenarum in illa Floridæ parte quam Galli lustrarunt, è Commentariis Laudonerii.*

**R**enatus Laudonerius qui diligentissime has provincias lustravit, qua Oceenum attingunt, de Florida testatur in hunc modum. Solum maxima parte planum & crebris amnibus riguum, secus oram maris pene ubique arenosum. Silvæ fere constant pinis (quarum nuces nucleis destituuntur) quercubus, juglandibus, cerasis, moris, lentiscis, castaneis, sed magis silvestribus quam sint Europeæ. Magna insuper cedrorum, cupressorum, laurorum, palmarumque copia; vites agrestes passim arbores complectentes; complures mespili majores atque meliores fructus ferentes quam in Gallia; Pruni quoque sed fructibus magis speciosis quam delicatis. Inter Silvestres autem arbores excellit quam barbari *Pavame*, Galli *Sassafras* vocant, materie & cortice præsertim exquisitè odorato. Frutices præterea variorum generum & imprimis rubi, & qui minores acinos ferunt grati saporis, quos Galli appellant *blues*. Terra autem producit sponte radicum quoddam genus, 30 *Hafex* barbaris, quibus pro farre utuntur: Arbor denique *Esquine* hic reperitur singulare adversus luem venereum atque alias contagiosos morbos antidotum. Quadrupedes vulgatores sunt cervi, rupicapræ, damæ, leones, pardi, lynxes, lutræ, luporum aliquot species, lepores, cuniculi, canes feri, & feræ quæ à leonibus Africanis non multum abludunt. In Avium numero recensentur Gallopavi, perdices, Psittaci, columbæ, turtures, turdi, corvi, accipitres, ardeæ, grues, ciconæ, anseres, anates & infinitæ pene aliarum avium species, inter quas sunt quædam minoræ elegantissimis plumis variegataæ. Crocodilorum ingens in amnibus numerus, uti & anguum varia genera.

Multum quidem auri atque argenti apud Barbaros reperitur, sed è navibus Hispanorum in littus ejectis servati potius, quam in hisce provinciis nati; cuius rei evidens indicium est, quod quo propius ad Austrum & Floridæ extimum promontorium acceditur, eo plus, quo vero magis ad Septentriones recesseris, eo minus horum metallorum reperitur; licet barbari unanimi consensu prædicent in montibus *Apalatci* rutili metalli venas reperiri, quod ego (inquit *Laudonerius*) aurum Apalatci esse conjicio. Quamplurimas præterea herbas atque acinos producit hæc regio ad varios colores exprimendos valde idoneos, quibus & barbari scite noverunt uti in tergoribus ferarum, aliisque rebus tingendis.

Viri olivastro sunt colore, statura grandi, corpore bene compacto sine ulla deformitate; tergere cervino eleganter parato tegunt pudenda, cætera nudi: & 50 brachia popliteisque variis notis picti, quæ ablui nequeunt, quippe cuti ipsi veluti insculptæ; capillitio sunt nigro atque ad femora usque promisso, nonnumquam & in nodos haud indecenter collecto. Simulandi dissimulandique artifices, dolosi, pugnandi avidi atque bellicosi; arma ipsis sunt arcus atque sagittæ, chordas arcuum aut è nervis cervorum aut eorumdem tergoribus artificiose præparatis & in laciniæ disseictis, contorquent: sagittas aut piscium dentibus aut lapillis asperant: juniores ad cursuram exercent, præmia victoribus proponentes: sagittandi quoque indu-

striam usū atque exercitatione sibi comparant & piscationi atque venationi supra modum indulgent.

Fœminæ codem sunt corporis habitu, codemque colore atque in eundem modum pictæ; utrique autem & mares & fœminæ paulo candidiores nascuntur, sed crebris unctionibns, oleo quodam ipsis usitato, colorem cutis adulterant: quod & superstitionis cuiusdam causa, quam tamen advenas studiose celant, faciunt, & ut nudam cutem adversus solis ardorem obdurent atque muniant. Tanta autem illorum est agilitas, ut etiam fœminæ altissima flumina, infantes suos ulnis complexxæ, natatu superent & summa celeritate ad altissimarum arborum fastigia emitantur; eadem omnia domestica munia obeunt. Plurimi reperiuntur in hisce regionibus <sup>10</sup> Hermaphroditi, qui onera portare & ad bellum proficiscentibus annonam subvenire consueverunt.

Maizium suum bis quotannis serunt, mense nimirum Martio & rursus Junio, idque in uno eodemque arvo; sex reliquis mensibus terram quiescere sinunt. Agros numquam stercorant, sed sementem facturi primo zizania quæ semestri illo succreverunt, incendunt, rediguntque in cineres; deinde ligneis instrumentis, qualibus in Gallia vinitores utuntur, subigunt terram, & bina grana maizy conjunctim congiunt & scrobem. Sementis tempore Regulus unum aliquem operis præficit, & large præbet *cassines* potum; messem autem convehunt in publicum horreum, ex quo in singulas familias juxta proportionem distribuitur; tantum autem serunt, <sup>20</sup> quantum ad semestre opus se habere judicant, idque satis parce; tribus enim quatuorve hibernis mensibus in silvarum adyta secedunt & tuguriola concinnant è palmarum ramis & ibidem *Maste* (vox barbara est, cuius explicationem nondum inveni) piscibus, ostreis atque ferina vitam tolerant; cibos suos craticulis ligneis impositos aut flamma torrent aut indurant fumo. Crocodilorum carnibus supra modum delectantur, quæ sane & candidæ sunt & non insipidæ, nisi quod muscum redoleant. Quum morbo aliquo tentantur, uti venam aperiri nobis, ita illi à medicis suis sanguinem è parte illa quam affectam putant, exsugi curant.

C A P: XV.

*De Arboribus quibusdam & herbis Floride familia-  
ribus aliisque.*

**N**T E R sylvestres arbores, quæ Floride familiares, supra recensuimus *Sassafras*. **I**nfer sassafras quam arborem *Franciscus Ximenes* ita describit. *Sassafras* est arbor grandis, foliis divisis in tres partes, trunco glabro & subrubenti, & qui redolet anisum. Calida & sicca est pene in tertio gradu & subtilium partium, quapropter medetur colicis & nephriticis doloribus; & est validum remedium adversus urinæ difficultatem & affectus renum è causa frigida natos: discutit fatus, aperit obstrœcta, corroborat partes interiores, sanat asthma aliosque pectoris morbos è causa frigida ortos; adjuvat digestionem; laxat alvum; tollit uteri infœcunditatem; promovet menes, & est validissimum remedium contra luem venereum: mitigat dolores dentium & corrigit rheumata. Exhibetur decoctum ligni, ramorum & radicum, præcipue autem corticum mane jejuniis quantitate octo unciarum. Fit autem hoc modo: sumunt medium unciam radicum cum suo cortice in minutæ assulas concisarum & macerant per noctem in duodecim aquæ libris; dein coquunt lento igne, donec tercia pars consumatur: sed notandum tam in decoctione quam usu, ægri esse habendam rationem, nimirum temperamenti illius, virium, ætatis & consuetudinis, sicuti & anni tempestatum; oportetq; ut victus sit tenuis, siccusq; uti in cæteris alexipharmacis adversus luem venereum solet: Debet autem summa cautio adhiberi & corpus generatim purgari. Quidam decocto simplici utuntur pro ordinario potu, pauxillo solummodo vini admixto, sine præcedentibus purgationibus aut ulla diæta: monendum præterea hujus decocti usum valde periculosum esse debilibus & valide afflictis:

Valeat

Valet per se lignum aquam marinam dulcem reddere, ut in extrema necessitate observatum ab ipso Ximene: nam quum è Florida versus veram Crucem navigarent anno c15 I5 cv, juxta sinum *Carlos* aquæ dulcis inopia cœperunt laborare & ad exiguum Insulam delati, ibidem invenerunt aquam, à marina vix quicquam differentem, sed quum ibidem arbor hæc copiosissimè cresceret, assulas quasdam ex illius materie dissectas, immerserunt aquæ, & post octiduum eandem dulcissimam factam non sine stupore hauserunt. Hæc *Franciscus Ximenez*: vide & integrum caput de hac arbore apud Monarden. Iconem è Dalechampio hic apponimus.

Fert quoque passim in silvis arborem, quam descripsit *Franciscus Ximenes*, occasione *Cahoz* arboris Peruviaæ familiaris, quæ folia fert rotunda & delicata, coloris obscure virentis, de qua suo loco dicetur. Non fuerit (inquit) præter propositum, hic meminisse alterius arboris huic non dissimilis, nisi quod fructum non ferat, è cuius foliis indigenæ Floridae potionem conficiunt, quam vocant *Cacinam*, quæ singulari virtute pollet ad urinam promovendam, & tanti sit ab Hispanis atque barbaris, ut vix ullus sit qui non mane & vesperi illam hauriat, idque majori excessu quam in Nova Hispania solent Chocolaten; sit in hunc modum, sumunt certam quantitatem foliorum & induunt illa vase argillaceo & ita sicca sine ullo liquore, titione ad hanc rem comparato tantisper torrent & altera manu continuo versant, donec color illorum viridis in rubrum mutetur, deinde illis sensim aquam affundunt, donec vas pene repleatur, & tum solum liquorem exhauriunt, qui colore refert vinum modice rubens, & spumam edit ad modum *Chocolates* quando illi *athole* miscetur. Hunc liquorem quantum ferre possunt, bibunt calidum è grandibus conchis marinis, magna contentione tam barbari quam Hispani, & se morituros credunt si aliquo die non hauserint; post sesqui horam autem à potu, incredibilem effundunt urinæ copiam, pene horæ spacio idque continuo; pauci itaque hic reperiuntur qui affectibus renum aut vesicæ laborent: barbari quoque hac potionem se sustentant; & quando corpus purgare volunt, miscent illi aquam marinam; ita enim valide evacuat noxios humores & per sedes & per vomitum, verum nisi modus in miscendo teneatur, interdum enecantur. Potentissimum denique esse remedium adversus nephritidem & arenulas hanc *Cacinæ* potionem, jam multoties experientia comprobavit. atque hæc de Arboribus.

Inter herbas excellit *Apoyomatli* sive *Phatzifiranda*, quam idem *Ximenes* ita describit. Folia (inquit) hujus herbæ sunt similia porri foliis, verum longiora & tenuiora, pene instar Cyperi, ad cuius species videtur referenda: caules habet instar junctorum, plenos pulpa, nodosos & sesquicubitum altos; florem parvum & angustum: radicem tenuem, oblongam, per intervalla plenam nodis seu tuberculis rotundis & capillatis. Hispani vocant sphærulas *S. Helenæ*, quia è portu Floridae qui ita dicitur, in Hispaniam advehuntur. Tubercula ista dissecta & Soli exposita mirum in modum durantur, & exterius induunt colorem nigrum, interius alba: præsidarii illius loci ea perforant & conficiunt ex illis rosaria, quæ non modo ibi, sed & in Hispania magni fiunt. Radix autem saporem habet aromaticum pene ad Galangæ modum; estque calida & sicca in tertio gradu, & pene in quarto, nonnihil astringens & resinosa. Nascitur locis humidis & ad ripas amnium. Barbari herbam inter duos lapides comminunt, & totum corpus illinunt succo, quum se ablueret volunt, idque fere quotidie, quia



Carlos.

C.XXIV

quia carnem corroborare & suavi suo odore credunt perfundere. Pulverem vero valde subtilem, non modo barbari sed & Hispani utiliter sumunt in vino adversus dolores Nephriticos ; movet enim potenter urinam , rejicitque omnia excrementa quæ meatus solent oblimare. Contusa vero & cum buccella sumta mitigat dolores pectoris ; & emplastro applicata sistit sanguinolentas dejectiones; corroborat ventriculum ; medeturque affectibus uterinis. Meminit hujus plantæ Monardes ; sed in Cap. 59. descriptione foliorum & caulinum discrepat à Ximene, tribuens illi folia ampla & ramos humi procumbentes.

Cap. vii. Mittit quoque hæc provincia *Ambar* quod vocant *Griseum* (inquit *Monardes*) idque in littus ejectum invenitur à *Cannaveral* ad promontorium usque D. 10 *Helenæ*.

## C A R. XVI.

*Regimen Politicum Floridanorum ex eodem Laudonero.*

**F**LORIDANI pluribus parent Regulis, quos ipsi vocant *Paracoussos*, qui ut plurimum discordes, jugiter inter se bellum gerunt; non tamen aperto marte; sed fere ex insidiis grassantur, & ex improviso sese mutuo opprimunt atque intercipiunt, & in interceptos crudeliter sœviunt, mares omnes trucidantes, iisque capita præcedentes, comarum gratia, quas in triumphis suis exultabundi circumferrunt; imbelli tamen sexui parcunt, & foeminas atque pueros in servitutem abreptos sedulo educant. Victoriae compotes domum reversi, amicos omnes advocant, & triduum integrum noctu atque interdiu epulantur, cantillando tripudiandoque tempus terentes; chorum ducunt vetulæ, capillis occisorum hostium ornatae; Soli potissimum victoriam acceptam referunt, eique litant. Ad bellum proficiscentes, panes, mel atque farinam è mayzio secum portant, nonnumquam & pisces fumo induratos, ubi hæc defecerunt, etiam immundissimis rebus vescuntur, & carbones, arenasque pulmentis suis admiscent. Aciem explicantibus Regulus præit, una manu clavam, altera arcum gestans, pharetra post tergum rejecta, reliqua turba sequitur cum arcubus atque sagittis; impetum autem faciunt cum maximis clamoribus & boatu.

Nihil temere aggrediuntur nisi Senatu sœpe consulto; singulis quoque diebus mane convenient in palatum, ubi Regulus eminentiori sella confidet, dein cæteri suo ordine pro ratione ætatis ingrediuntur, & manibus supra verticem elatis, præcinunt suum *Ha He ya*, reliquis *ha ha* prosequentibus; post illa singuli subsellia sua occupant: Si res magni momenti in deliberationem veniat, etiam sacerdotes, & quotquot ætate cæteros præcellunt, in vitantur, illorumque consilium ante omnia requiritur. Tum *Cassine* infertur; præit bibendo Regulus, reliquisque ex ordine infundi imperat.

Nulla hisce barbaris certa religio, neque fere ullum certum numen venerantur, 40 Soli tamen & Lunæ nonnullum cultum impendunt, cæteræ quoque quæ communem rationem excedentia in oculos incurunt, superstitiose colunt. Sacerdotes suos habent, quos vocant *Jawas*, quibus admodum obnoxii sunt, auguriis illorum atque præstigiis infatuati; nam præterquam quod magicarum artium minime sint rudes, medicinam exercent & vulnera obligant, semper herbas atque alia medicamenta circumgestantes: Nullus autem morbus ipsis familiarior quam lues venerea, quum & fæminis intemperanter abutantur, nec marium nefaria consuetudine abstineant.

Connubia quidem singula privati & vulgus, plura autem Reguli & magnates colunt, unam tamen illi pro Regina habent, cuius liberos in spem successionis educant: fæminis postquam prægnantes factæ fuerint, ut plurimum abstinent, nec 50 cum iis consuescunt quum menstrua sua patiuntur, nam & cibos tum earum contactu fædari autumant. Regulum defunctum solemniter efferunt, pateram, qua potare solitus est, tumulo superimponunt, & innumeræ sagittas in ambitu infigunt terræ, triduano jejunio & ejulatu eum plangentes; vulgus quoque cæsarium suum præcidit in singulare luctus argumentum: denique Reguli arma & reliquam supplæctilem una cum domicilio illius incendunt atque abolent; & vetulas quasdam deputant,

députant, quæ toto semestri illum singulis diebus mane, meridie & vesperi diris ululatibus plangant. Vicini autem Reguli & amici magnifice justa ipsi persolvunt. Sacerdotes itidem in ædibus suis funerantur, quas ad eundem modum flammis abolent.

## C A P . XVII.

*Descriptio oppidorum & arcium que hodie ab Hispanis in Florida possidentur.*

**H**I S P A N I hodie in Florida, pro tanta regionum amplitudine, pauca omnino possident oppida: nam ad magnum illum Sinum, qui Fretum Mexicanum admittit, haec tenus nulla habent; ad oram autem quæ ab Oceano Septentrionali pulsatur, tantum bina: quorum prius, Oppidum *S. Augustini* nomine censemur cum suis arcibus, ad æstuarium fluminis *May*, quod hodie *S. Augustini* dicitur, & interius ad ipsius fluminis ripas; distans ab australi Floridæ promontorio, leucas, ut ferunt, quinquaginta. Alterum *S. Mattheo* sacrum juxta cornu *S. Helena*, distans à priori leucas duodecim aut paulo plures, & ab Habanæ portu circiter centum.

Prius oppidum *S. Augustini* nomini dicatum, facile principale est, cuius funda-  
menta à Gallis fuerunt jaæta, uti ante diximus: quod à Gurgio pene funditus de-  
letum, post ipsius discessum, à *Petro Melendez* fuit restauratum. Id ab Anglis duce  
fortissimo Equite *Francisco Drakio*, anno *clo clo lxxxv* in hunc modum fuit cap-  
tum. E Sinu Mexicano per Fretum Bahamense in oceanum Septentrionalem dé-  
lati Angli, quum oram Floridæ è vicino raderent, circiter xxx gradibus ab Äqua-  
tore versus Arctum Floridæ littus prospæctantes, animadvertisunt juxta fluminis æstua-  
rium speculam quandam ad modum suggesti eminere; itaque militibus in celoces  
impositis, cursum illo convertunt, ut quid rei esset è propinquuo explorarent. Flu-  
men ingressi exscensionem faciunt, & ripam circiter milliare unum sequuti, muni-  
mentum conspiciunt ruper admodum ab Hispanis ad adversam ripam constru-  
ctum; & supra illud, unius pene milliaris intervallo exiguum municipium, aliquot  
ligneis ædificiis constans, sine ullo vallo. Angli itaque duo tormenta, quæ secum  
duxerant; ante vesperam dirigunt in munimentum, & aliquot suorum cum exigu-  
lembio mittunt, qui munimentum proprius specularentur. Hispani universas Anglo-  
rum copias advenire suspiciati, post aliquot tormentorum displosionem, fugam ca-  
piunt, paucis suorum in munimento relictis. Latuit aliquandiu Anglos Hispano-  
rum fuga; donec Gallus quidam captivus ad ipsos transiret, & eorum quæ ab Hi-  
spanis gerebantur certiores faceret: Tum sine mora omnes copiæ traductæ, & pau-  
cis illis statim diffugientibus, munimentum nullo negotio captum: quippe nulla  
dum fossa præmunitum, & vallo, quod ex transversis lignis constabat, nondum per-  
fecto; pauci enim menses erant ex quo Hispani hoc munimentum moliri cœperant.  
Nihil alicujus pretii hic inventum, præter decem & quatuor ænea tormenta, & cir-  
citer viginti florenorum millia, in stipendia militum, qui hic *cl* in præsidio collo-  
cati erant, in cista deposita. Munimentum hoc *S. Ioannis* nomini erat dicatum.  
Hoc potiti quantocius cymbis suis flumen ascenderunt & ipsum *S. Augustini* mu-  
nicipium nullo negotio sunt ingressi, præfecto *Petro Melendez* inter primos fugam  
capescente. Atque hic didicerunt, Hispanos duodecim leucis ab hoc loco versus  
arctum, alterum municipium tenere juxta *S. Helena* promontorium, quod itidem à  
centum quinquaginta præsidariis custodiretur. Propositum erat *Drakio*, id quoque  
Hispanis eripere, verum quum inter navigandum mare vadosum & oram admodum  
humilem & onerariis insidiosam comperisset, mutato consilio recta petiit Virgi-  
niam..

## C A P. XVIII.

*Descriptio Oœ Maritimœ provinciæ Floridæ, tam qua magno Oceano pulsatur, quam qua sinum Mexicanum admittit.*

**E**ximum Floridæ cornu, quæ Cubam respicit versus austrum, tegunt notissimæ insulæ (vel potius scopuli) quæ *Martyres* nautis dicuntur. Pone *Martyres* jacet promontorium Floridæ, quatuor & viginti gradibus & triginta scrupulis ab Äquatore versus Arctum; ab hoc littore legentibus versus Aquilones occurrit primo amnis *Ays*; dein terræ cornu vulgo *punta de Cannaveral* viginti & octo gradibus & triginta scrupulis ab Äquatore.

Canna-  
veral.  
A quo duarum aut trium leucarum intervallo abest amnis sive *Barra* (ut vocant) de *Mosquitos*, quam excipit decem aut plurium leucarum intervallo, *barra de Matanza*, ob Ribaldi & Gallorum cædem hoc nomine notata.

S. Augu-  
stin.  
Paulo ultra jacet Flumen *S. Augustini*, patenti ore se pandens versus Eurum; circiter triginta gradibus ab Äquatore versus Arctum, uti ab Hispanis observatum.

S. Ma-  
thæi  
Ab hoc flumine ad æstuarium *S. Matthei* sunt decem leucæ; intermedio autem spacio exeunt in mare *Saravay* & *Sana* amnes, sed *S. Mattheo* quam *Angustino* propiores.

S. Petri.  
Sequitur deinceps octo leucar. intervallo *S. Petri* fluvius uno & triginta gradibus ab æquatore versus Arctum: & quinq; leuc. amnis seu *Barra de Balenas*. dein sesqui-leucæ *Alacany* sive *Gualaqiny* fluvius. A quo ad *Saon* vel *Chaon* numerantur leucæ quinque. A *Saon* porro ad *Despogen* una; ad *Capalam*, tres. A *Capala* ad *Cofonufum* duæ; uno & triginta gradibus & viginti scrupulis ab Äquatore. A *Cofonufo* ad *Barram de Asopo* tres leucæ. Ab *Asopo* ad sinum *Sanctæ Crucis* duæ & semis. A sinu *S. Crucis* ad sinum vadorum (vulgo *Dos Baxos*) tres. A Sinu vadorum ad promontorium *S. Helenæ* quinque, duobus & triginta gradibus & triginta scrupulis ad Äquatore versus Arctum.

Iordanis.  
A promontorio *S. Helenæ* ad *Oristanum* sex leucæ. Ab *Oristano* ad *Ostanum* quatuor. Ab *Ostano* ad *Cayaguam* octo. A *Cayagua* ad flumen *Iordanis*, intervalum non proditur, distat autem ab Äquatore (ut annotant Hispani) tribus & triginta gradibus. Hactenus littora magno Oceano exposita ita se habent.

Calos.  
Pars Floridæ quæ sinum Mexicanum magno gyro admittit, minus cognita est, quæ tamen de illa accepimus, quoad orarum ductum, hæc fere sunt. Post *Martyres* sequuntur *Tortuga* notissimæ insulæ de quibus alibi diximus. Ad Continentem autem seu Occidentale Floridæ latus primum signatur *la Muspa* & ab hac tredecim leuc. magis versus Arctum sinus de *Carlos* sine *Calos*, quem & Ioannis Poncii Legionensis nomine insigniunt. A Poncii sinu totidem leucas numerant ad *Tampam*. A *Tampa* ad sinum *Spiritus S.* tres & triginta leucas; hic barbaris appellatur *Tocabaga*, diciturque ab Äquatore distare novem & viginti gradibus & triginta scrupulis versus septentriones.

Atque hinc ora, quæ fere hactenus ad Arctum tetendit, vasto & pene trecentarum leucarum ambitu se circumgyrat versus occasum, usque ad flumen *Palmarum*, quo intervallo pauca admodum loca signata invenimus. Nam à *Tocabaga*, quæ aliis dici videtur *Ancon Baxo*, numerant leucas centum ad flumen *Nivale* vulgo *Rio de Nieves*. A flumine nivali ad Flumen florum viginti aut paulo plures. A flumine florum ad sinum *Spiritus S.* (quem alterum esse oportet à præcedenti) sive *Culatam* ut vulgo vocant, septuaginta. A *Culata* ad flumen *Piscatorum*, vulgo *Rio de Pescadores* itidem septuaginta. A flumine denique *Piscatorum* ad flumen *Palmarum* centum.

